[illegible] verbundenen

Lehranstalten

[illegible] des Schuljahres 187[illegible]/79 [illegible]

von

Johann Vogt,
Rector.

Inhalt.

[illegible] Roman[illegible] [illegible]
[illegible]

Programm

des

evang. Gymnasiums A. B. zu Kron[illegible]

und der damit verbundenen

Lehranstalten.

Am Schlusse des Schuljahres 1878/79 veröffentlicht

von

Johann Vogt,
Rector.

Inhalt:

Kronstadt.
Druck von Johann Gött & Sohn Heinrich.
1879.

Quid venusti et elegantis in verborum elocutione Homeri carmina habeant.

Quicunque vir ingenio praeditus ex mente divina quasi hausto atque delibato, toto animo et studio ommi incubuit ad salutem generis humani, fere semper firma ac perpetua sui vestigia reliquit hominibus, quaeque ab eo excogitata aut inventa sunt, per omnem saeculorum memoriam manserunt ac floruerunt. Vivit vivetque semper atque in memoria hominum et sermone versabitur, dum animi nostri, pravis atque humilibus cupidinibus ad inertiam non pessumdati, impetu illo divino compulsi, ad verum, bonum, pulchrum trahuntur et rapiuntur.

Si nunc quidem ad artem solam nos convertimus contemplandam omissis illis illustrissimis viris, qui, in litteris aut rebus divinis occupati, hominibus ad bene beateque vivendum aditum dederunt, nullum artis monumentum cum ad genus humanum educandum atque confirmandum, tum praesertim ad omnes artis disciplinas augendas atque excolendas per trium milium annorum spatium haud scio an magis pertinuerit, quam carmina Homerica.

Cum Homerus ut Graecus suae aetatis carmina sua composuerit, mirum non est, quod nonnulli loci ab illorum temporum opinionibus non abhorrentes amplius nobis non probantur. Quamquam enim Homerus, ut hoc exemplo utar, opiniones Graecorum illius aetatis ad deorum naturam spectantes accuratissime exposuit, quam ob causam recte Herodotus „Graecis deos ab Homero et Hesiodo procreatos esse" condentit[1]) tamen jam Herodoti ipsius temporibus carmina Homeri non amplius corpus s a n c t a r u m litterarum a Graecis habita esse inter ommes constat. Sed animus ejus, qui ommes humanas res penitus cognovisse totamque rerum naturam perspexisse videtur, usque ad haec nostra tempora adulescenti ut morum formator ac magister, viro ut amicus adesse potest. Quantopere autem Homeri carmina artem juverint, quis est, qui nesciat. Copia illa permagna pulcherrimarum fabularum, aut deorum aut hominum mortalium facinora narrantium, non solum Graecis illorum[2]), sed etiam poetis artificibusque omnium temporum materiam rerum copiamque uberrimam praebuerunt atque amor ille et sensus elegantiae venustatisque, quem Homeri carmina ubique prae se ferunt, fere semper exemplum, ad imitandum propositum esse videbatur. A Vergilio usque ad Milton, Klopstock, Schiller,

---

[1]) Herodot. II, 53: οὗτοι δέ εἰσι οἱ ποιήσαντες θεογονίην Ἕλλησι καὶ τοῖσι θεοῖσι τὰς ἐπωνυμίας δόντες καὶ τιμάς τε καὶ τέχνας διελόντες καὶ εἴδεα αὐτῶν σημήναντες.

[2]) Dionys. Longinus (περὶ ὕψους XIII, 7): Ἡρόδοτος Ὁμηρικώτατος ἐγένετο, Στεσίχορος ἔτι πρότερον ὅ τε Ἀρχίλοχος, πάντων δὲ τούτων μάλιστα ὁ Πλάτων ἀπὸ τοῦ ὁμηρικοῦ νάματος εἰς αὑτὸν μυρίας ὅσας παρατροπὰς ἀποτειχισάμενος. — Imprimis autem in tragicis poetis Homeri imitandi studium a veteribus cognitum. cfr. Aristophanes Ranae v. 1034.

Goethe, a Phidia, qui Jovis statuam Olympiae finxit,[1]) usque ad illos praeclarissimos artifices Monacenses et Vinarienses, quis ommes enumerare potest eos, qui eius sententiis voluptate affecti ejus elegantiam animis accomodare studuerunt?

Itaque cum carminum Homericorum maximam esse gravitatem atque auctoritatem inter omnes constaret, multi iique doctissimi viri explicandis illis carminibus operam dederunt ita ut quae de eis conscripta sunt, vix mille libris contineantur. Tamen haec scripta in duas partes dividam, quarum altera libros gramaticos et criticos, altera aestheticos complectitur. In primae partis libris ea scripta numero, quae aut scriptoris verba correptularum sordibus purgare aut originem carminum Homericorum exponere, aut copiam verborum ejus explicare aut eas res, quae ab historia petendae sunt, enarrare volunt, in alterius partis ea, quae ad virtutes aut vitia vel in operis compositione vel in uniuscujusque loci verbis et sententiis declaranda pertinent.

Viri docti superioris saeculi mente incitati, cum minoribus rebus neglectis ad majora assurgerent, ad aesheticam praesertim carminum contemplationem sese converterunt. Praeclarissimi Germanorum poetarum cum cura et deligentia versabantur in vi ac natura Homeri aperienda carminumque arte exploranda atque ejus venustatem imitari studuerunt. Postquam autem F. A. Wolfius anno 1795 librum suum „Prolegomena ad Homerum"[2]) in lucem edidit, novasque quasi philologiae vias ostendit omnes docti viri summo studio ad Homeri carmina critice tractanda incubuerunt. Tunc primum quaestio illa, quam nunc quoque in medio reliquerunt virorum doctissimorum studia, exstitit — quaestio Homerica.

Quamquam hoc loco, quomodo quaestio illa orta paulatimque commutata sit, accuratius exponere nolo, tamen brevi explicatione opus erit, ut commentatio nostra certo quodam nitatur fundamento.

Wolfius severo suo judicio, cum Homeri carmina illis temporibus litteris non mandari potuisse multosque carminum locos sibi non constare ostendisset, vulgatam opinionem, qua ab uno Homero Ilias et Odyssea compositae esse credebantur, vehementer concusserat atque labefactaverat. Herder, Schiller, Voss, Goethe, alii poetae praeclarissimi, quibus ab uno magno poeta carmina condita esse persuasum erat, Wolfii sententiae restiterunt[3]) cumque illum quasi ex multis elementis consutum aspernarentur, unum sonum esse totius sermonis eundemque stilum ostenderunt, quantoque artificio in moribus hominum notandis animique adfectibus depingendis carmina florerent, quam artificiose eorum argumentum progrederetur, quam ingeniose omnes loci sibi constarent, explicare conati sunt, id quod forte aut multis vatibus auctoribus aut postea quasi singulis quibusdam carminibus consuendis nullo modo effici potuisset. — Et docti viri, qui arti criticae operam dederunt, Welcker ac praesertim O. Mueller Wolfii quasi atomisticae sententiae aliam bene constitutam oppossuerunt; quorum quem secundo loco posuimus, Iliadem et Odysseam ab uno et magno ingenio poetico confectas esse arbitratus est. — Tum anno 1837 Lachmann libellum suum in lucem edidit „Betrachtungen über Homer's Ilias"[4]) quo libro Homericae quaestioni talem, qualem ante Wolfium nemo inpulsum admovit. Ex ipsa Iliade sedecim principalia carmina quasi exsecuit, quae diu vatum sermone memoriae tradita itaque corrupta ac depravata Pisistrato regnante in Iliadis nostrae formam redacta essent.

Ex illo tempore ei docti viri, qui Homeri carminibus operam dederunt, in tres partes discesserunt. Alii enim veterem illam de Homero opinionem a Wolfio labefactatam conservaverunt, alii Lachmannum secuti sunt, alii in medio constiterunt. Ab alia parte stat Naegelsbach (Anmerkungen

[1]) Lessing, Laokoon XXII.

[2]) Prolegomena ad Homerum sive de operum Homericorum prisca et genuina forma variisque mutationibus et probabili ratione emendandi. Scripsit Fried. Aug. Wolfius. Halis Saxonum 1795.

[3]) Cfr. G. Curtius, Andeutungen über den gegenwärtigen Stand der homerischen Frage. — Zeitschrift für inner-österr. Gymnasien, V. S. 5.

[4]) Mit Zusätzen von Moritz Haupt. Zweite Auflage, Berlin 1865

zur Ilias 2. Auflage, Nürnberg 1850), **Nitzsch** (die Sagenpoesie der Griechen 1852 und Beiträge zur Geschichte der epischen Poesie der Griechen. Herausgegeben nach dem Tode des Verfassers, Leipzig 1862) ab alia **Lachmann**, **Hoffmann** (der gegenwärtige Stand der Untersuchungen über die Einheit der Ilias. — Allgemeine Monatsschrift für Wissenschaft und Literatur 1852). **Sengebusch** (Neue Jahrb. f. Philol. 1853), **Bonitz** (Ueber den Ursprung der homerischen Gedichte, 2. Auflage, Wien, 1864). **Köchly**, alii; media quadam sententia utuntur: **Faesi**, **Grote**, **Friedlaender**, **Ritschel**, **Curtius**, **Schoemann** **Bernhardy**, alii.

Quorum diversisssimas opiniones qui in utramque partem accuratius ponderaverit, haud scio an intellecturus sit, quaestionis Homericae nodum numquam certe persolvi posse. Atque ego quidem parum indiciorum historica fide comprobatorum nobis esse puto, quin illa obscura tempora clara luce illustranda illaeque doctorum virorum conjecturae, quamvis sint argutae atque ingeniosae, satis continendae sint. Recte igitur Hiecke varias illas et nonnumquam nimis argutas criticorum sententias contemplans atque intuens dicit[1]) „Höher zu stellen ist die Betrachtung der poetischen Darstellung, wofür es freilich an objectiven Kriterien noch sehr mangelt, und dass in erster Linie stehen müssen die Forschungen über Composition und Charactere. Und im Zusammenhang damit, glaube ich auch, dass jeder Forscher, welchen Weg er auch als Vorarbeiter für den künftigen Vollender einschlagen möge, wohl thun wird, nicht blos den Scharfsinn in sich auszubilden, der in isolirter Steigerung leicht den gesunden Sinn überwuchert, sondern auch der Phantasie, als der Grundbedingung nicht blos poetischer Schöpfung, sondern auch poetischen Verständnisses die Sorgfalt und Pflege in sich angedeihen zu lassen, welche bei unserer Bildungsweise auch ihre Mühe kostet."

Hodie si ex programmatibus quibusdam minoribusque commentationibus colligi potest, sententiae illorum, qui Lachmannum eiusque opiniones secuti sunt, magis magisque concussae esse videntur, laetandumque est, increbrescere eorum existimationem, qui carmina, quae vocantur Homerica, ab uno Homero unum certumque consilium secuto composita esse credunt. Ac praesertim Theodorus Bergk in libro suo „Griechische Literaturgeschichte" (p. 440—913) illas sententias accuratius exposuit, quas cum ad illius partes me penitus traxerint, hic tantummodo adumbrare volo. Bergk, postquam quae de Homero, ejus patria atque aetate fide historica comprobata, quaeque ab omnium temporum doctis viris de eo conjecta sunt, explicavit, Lachmannique opinionem refutavit,[2]) singulis partibus Iliadis et Odysseae expositis, ad hunc modum quae credat aperit: (p. 645) „So nehmen wir also in der Ilias drei wesentlich verschiedene Elemente wahr; die ursprüngliche Dichtung, die Arbeiten der Fortsetzer und die abschliessende Redaction der Diaskeuasten" (p. 722). „So ist die alte Odyssee nicht nur vielfach erweitert, sondern es sind auch ächte Theile verdrängt worden, andere haben eine Ueberarbeitung erfahren, die den Eindruck des zwiespältigen und Verworrenen hinterläst." — Quis dubitet igitur, quin utriusque carminis auctor poeta omnia certa ratione conscribens fuerit, etsi utrumque, priusquam ab Onomacrito atque Aristarcho in eam, quam nunc habemus formam redigeretur, permultis subditiciis corruptum est? Ac si Bergk Homeri carmina maximo comparat aedificio, quod per multa saecula priore aedificandi ratione ac consilio saepius neglecto exstructum, postea accessionibus quoque quibusdam deformatum est, quamquam prima species atque imago omnibus est sub oculis — id mihi omnino probatur.

---

[1]) Hiecke, der der gegenwärtige Stand der homerischen Frage. Progr. Greiswald 1856, S. 23.

[2]) Bergk, Griech. Lit.-Gesch. I., S 532: „Nun erweist sich zuweilen auch ein Irrthum fruchtbringend, aber es überschreitet doch alles Mass des Glaubhaften, wenn die moderne Kritik uns zumuthet, in jenen beiden Gedichten, welche nicht blos das einfache natürliche Gefühl des Volkes, sondern auch das einstimmige Urtheil der berufenen Meister in Poesie und Philosophie Jahrtausende hindurch als ein untheilbares Ganze betrachtet hat, nur ein Aggregat einzelner, lose verbundener Lieder zu erkennen."

Si vero Bergk Iliadem modo ipsi Homero, Odysseam[1]) autem poetae alii post Homerum praeclarissimo, qui rationem Homeri secutus esset attribuit, — id sive verum, sive falsum est, a nobis praetermitti potest. Nobis quidem scire sat est, utrumque carmen, quamquam neque ab iisdem poetis neque iisdem temporibus tamen certa quadam ratione observata conditum esse et quamquam permultis causis permoveamur, ut a duobus poetis non uno conscriptum esse credamus, utrumque tamen natura et vi, praesertim autem elocutione verborum quasi cognatione quadam contineri, ita ut has ob causas ab uno praeclarissimo poeta confectum esse non temere putatum sit.

Si aestheticam solam spectamus, mihi curae non esse confiteor, quo modo de Iliadis et Odysseae origine suam quisque opinionem finxerit. In illo enim Homero, quem e Pisistrati aliorumque manibus quamvis magnis interpolationibus, commutationibus, corruptelis instructum accepimus — nonne post sextum ante Christum saeculum maxima erat vis et ad juventutem non solum Graeciae sed etiam totius Europae educandam et ad omnes artes excolendas? Etiam in gymnasiis nostris neque de origine carminum Homericorum neque de singulis, quae in Iliade et Odyssea inesse possunt, carminibus nobis agendum est, sed illum, quem veteres nobis tradiderunt, Homerum discipulis nostris proponemus neque de conjecturis illis, sed de auctoritate gravitateque auctorum veterum disseremus, ut Naegelsbachio[2]) satisfaciamus, qui postulat, ut discipulos veterum scriptis legendis delectemus et, cum minoribus rebus nimis argute contemplandis totum non negligamus, eis librorum explicationem praebeamus vere aestheticam.

Postquam nunc quidem quid de quaestione Homerica censendum esse putarem et cur unum Homerum auctorem Iliadis et Odysseae esse mihi persuaderem exposui, quid me impedit, quominus ad propositum me convertam: Quid elegantis et venusti Homeri carmina in verborum elocutione habeant?

Si quo loco apud veteres Schilleri illud[3]):

„Schön'res find ich nicht, wie lang ich wähle,
Als in der schönen Form die schöne Seele.“

valuit, apud Graecos certe! Quaecumque oculis contemplabantur, manibus conficiebant, perficiebant animo, omnia iis erant nihil, nisi pulchra erant. In pulchri autem notione non solum propria sed etiam apud Graecos nota verbi significatione virtutibus animi mixtae sunt virtutes in specie positae; est pulchrum quasi animi simulacrum in forma venusta. Quamquam vero posterioribus praesertim

---

[1]) S. 739: „Es war ein bedeutender reichbegabter Dichter, der im Sinne Homers die epische Kunst ausübte, der an Genialität, an Fülle sinniger Erfindungen und an Tiefe der Menschenkenntniss seinem grossen Vorgänger nicht nur gleich zu stellen ist, sondern ihn sogar noch übertrifft.“

[2]) Naegelsbach, Anmerkung zur Ilias, 2. Auflage, Seite XIV.:

„Da nun aber die Schönheit der klassischen Studien dem Inhalt und Aurdruck nach, wesentlich in dem Gedanken ruht, dieser aber als solcher nichts Einzelnes und Abgerissenes ist, so wird dem Schüler vor Allem der Gedanke des Schriftstellers und zwar im Zusammenhange zum Bewustsein gebracht werden müssen, so dass jener, der über der Mühe, die ihm das Einzelne kostet, leicht vergisst, wo er im Ganzen steht, durch Vermittlung des Lehrers, der ihm den Zusammenhang zu reproduziren hat, in der lebendigen Bewegung des sich entwickelnden Inhaltes fortwährend erhalten wird. Je mehr nun der Schüler in die Sache selbst, um welche sichs handelt, hineinversezt wird, je mehr er das Epos, den platonischen Dialog, das Drama, das er gerade liest, selber durchlebt, um so mehr wird auch der schöne und schlagende Ausdruck in seiner Seele wiederklingen, weil nunmehr das Element, in welchem derselbe vernommen wird, für ihn kein Fremdes mehr ist. Derjenige nun, der seinen Schülern nicht nur, was der Schriftsteller im Einzelnen, sondern was er im Zusammenhange sagt, zum Bewusstsein zu bringen, sogleich zu bewirken vermag, dass derselbe, obwohl in einzelne Pensa zerstückelt, doch für den Schüler nicht aufhöre, ein lebendiges Ganze zu sein, dessen Inhalt als ein organisch entwickelter, dessen Form vom Inhalt und nur von diesem bedingt und erfüllt erscheint, der Lehrer wird seinen Schriftsteller im wahren Sinne des oft missbrauchten Wortes ästhetisch erklären.“

[3]) Schiller, VI. Seite 152. (Hempel. Ausg.).

Graecarum civitatum temporibus pura haec pulchri notitio obscurabatur, in forma venusta animus pulcher magis magisque exstingebatur, tamen Homeri aetate eamque sequentibus saeculis quibus Graeciae gentes ad summam pervenerunt dignitatem atque sapientiam, non solum in omnibus artis monumentis sed etiam in omnibus vitae publicae et privatae institutis praeclarissima et rerum et formae videri potuit convenientia. Quae quidem in poesi graeca efficiebatur integritate illa aminorum, castisate cogitationis et mentis, rerum verborumque copia uberrima.

Cuius rei cum magnos illos tragicos Graecos, tum praesertim Homerum, parentem poesis graecae, primum et clarissimum exemplum esse, inter omnes constat. Cum enim Ilias et Odyssea jam artis[1]) cujusdam vestigia sine dubio praebeant, tamen in utroque carmine nil putidi atque quaesiti (nonnulis locis duris, qui postea interpositi sunt, exceptis) invenitur, nusquam adhibetur inanis quadam verborum species ac pompa, nusquam in verborum elocutione animadvertitur duritas. Ubique rerum formaeque compositio apta: minimus quoque locus plenus elegantiae atque venustatis. Itaque recte Schiller[2]):

„Hat er doch Eine Mutter nur und die Züge der Mutter
Deine unsterblichen Züge, Natur."

Naturae autem conveniens ea modo forma nobis esse videtur, quae ad ipsum animum se accomodat. Si igitur de formis Homericis dicturus sum, facere non potero, quin etiam de animo et indole poesis Homericae pauca adjiciam. Cum forma ex re pendeat, saepissime, nisi ex rebus ipsis earumque indole, quid forma sibi velit, colligi non poterit.

Quibus autem rebus carminum Homericorum venustas apparet?[3]) Ac primum quidem admiranda est ars ejus in fabula, quae carminis quasi fundamentum est, enarranda, in moribus omnium sive deorum sive homnium depingendis; tum aptissima illa rerum descriptio atque distributio, quae in fabula producenda et in digressionibus recte inserendis cognoscitur. Inprimis autem argumentum carminum semper simplex et unum, narrandi et reticendi modum semper servatum, verborum copiam ad rerum ubertatem exprimendam semper aptissimam, postremo omnia sermonis subsidia ad splendorem et nitorem parandum semper peritissime adhibita esse, quis est, quin sciat? — Sed terminos mihi constitutos egrederer, si Homerum in his omnibus rebus artis praecepta diligentissime secutum esse accuratius demonstrarem. Quicunque de Homeri carminibus ex aequo judicare vult, sine dubio Vischeri, quod equidem sequor, probabit judicium, qui dicit[4]): „Es verhält sich hier, wie in der Skulptur; eine historische Erscheinung fällt mit dem Begriffe der Sache zusammen, ist normal. Wenn man das Wesen der Skulptur schildern will, schildert man die griechiche, und umgekehrt; eben dies gilt von dem Wesen des Epos an sich und von dem homerischen Epos."

Quamquam igitur multum mihi haberet delectationis, si elegantiam venustatemque carminum Homericorum universam demonstrare ac fortasse quae ei cum Vergilio, poeta clarissimo, qui eius

---

[1]) Vischer, Aestetik III., S. 1285:

„Das griechische Epos steht so in einziger Vollendung da, dass es als historische Erscheinung doch ganz mit dem Begriffe der Sache zusammenfällt, denn in einer Dichtungsart, welche ihrem Wesen nach ein plastisches und naives Weltbild fordert, wird das Vollkommenste da geleistet, wo nicht nur die Phantasie des Volksgeistes an sich plastisch ist, sondern auch das dichtende Bewustsein sich zur Kunstpoesie erhoben hat, ohne den Boden der Naivität zu verlassen."

[2]) Schiller, I., S. 196.

[3]) Herder's Werke, 10. Theil. Homer ein Günstling etc., S. 330:

„Das Wesen der Kunst gehet auf Umriss, auf bedeutenden Endzweck, auf Anmuth, Fülle und Einheit. Unvermerkt arbeitet sie dahin, das Ueberflüssige wegzuschaffen, dem Nothwendigen aber Kraft zu geben und es in höchster Einfalt darzustellen, göttlich, würdig, angenehm, zierlich." „Alle Sagen gehen unausgebildet in das unendliche fort, der Sänger gibt der Unendlichkeit Umriss, den Begebenheiten Form und zwar auf die leichteste Weise"

[4]) Vischer, Aesth. III. S. 1287, f.

vestigia persecutus est, hac in re comunia sunt, illustrare mihi liceret, tamen nunc quidem hoc consilio mihi desistendum est. Ut vero etiam gutta aequae, sole collustrata, totius solis repercutitur imago, sic etiam, si de parte modo Homericae artis disseram, quantum ubique in eis carminibus insit gratiae et venustatis, facile effici posse spero. Praecipue autem Homerus omnibus non solum Graecorum sed etiam omnium aliarum gentium poetis splendore quodam et nitore orationis praestat, qua in re nemo umquam eum adaequavit. Itaque Pindaro, Sophocli, Platoni, semper ut ad imitandum propositum exemplar ante oculos versabatur et poetae et docti viri omnium temporum venustate eius capti pleni erant admirationis et amoris ejus. Nam cum ante omnia dicendi genus ad elegantiam, splendorem, gratiam poeticae artis pertineat, mirum non est, quod etiam Homerus, qui inter omnes poetas dicendi genere praeclarissimo, elegantissimo maximeque sublimi excellit, omnibus saeculis summis laudibus exornatus et a doctissimis viris non solum priorum sed etiam recentiorum temporum ad astra, ut ita dicam sublatus est. Si igitur aliorum studia secutus, de Homeri genere dicendi disseram hoc loco, id mihi non solum multum habebit voluptatis, sed etiam Homeri carminibus melius explicandis rectiusque dijudicandis aliquam afferat utilitatem. Sed cum non de universa apud Homerum dicendi ratione disputare mihi liceat, de epithetis modo ornantibus, quae vocantur, de comparationibus, de descriptionibus agam, ceteris poeticis ornamentis, orationibus aliisque rebus ommissis, idque unum studebo, ut quamquam hac in urbe bibliotheca non adjuvor, his de rebus plane et dilucide disputem.

De epithetis ornantibus.

Omnia epitheta dividuntur in partes duas. Sunt enim epitheta aut necessaria aut ornantia. Epithetis necessariis in dicendo et in scribendo, in oratione soluta et in poesi saepissime utimur. Notatur enim eis, quo modo unoquoque temporis momento aut homines aut res sese habeant. Ornantibus epithetis autem poetae modo usus et arbitrium utitur. Illa ad explanandam et explicandam, haec ad exornandam pertinent orationem. In Homeri carminibus eorumque qui eum imitati sunt, epithetorum quoque ornantium sunt duo genera: epitheta perpetua et epitheta exquisita vel significantia; quorum haec omnium poesis generum propria sunt, illa nisi in carminibus heroicis ac praecipue in eis, quae primis poeticae artis temporibus sine magno artificio composita sunt, non inveniuntur. Epitheta perpetua sunt adiectiva semper ad habitum solum proprietatemque rerum spectantia, epitheta autem exquisita non raro participia sunt, adiectivorum naturam usurpantia, substantiva, nomina patronymica.

Quomodo autem sit, ut epitheton artis poeticae ornamentum nominari possit? quidque sibi vult? Epitheta sunt ornamenta, quia neque ab ea, quae in antecedentibus aut sequentibus verbis inest sententia, dessiderantur, neque utilitati soli inserviunt. Si igitur ex carmine quodam epico omnia epitheta ornantia eximeremus, vim et naturam ejus non deleremus. Ut enim templum Graecum etiam sine metopis, sine triglyphis, sine magnificis illis in fastigio positis statuis praeclarissimum artis monumentum esset, sic etiam sine epithetis ornantibus, sine comparationibus carmen epicum satis pulchrum sine dubio confici posset. Ut vero oculi suaviter afficiuntur, si in templo columnarum columinumque series ornamentis distinguuntur et ut statuae templi magnificentiam valde augent, sic epitheta orationi elationem quandam affere videntur et vi sua in rerum omnium natura describenda et vitiis virtutibusque hominum depingendis posita non solum ad exornanda sed etiam ad explicanda carmina valent. Quo fit ut epitheta non inania sed quasi ingeniosa orationis ornamenta sint et — quem locum ars in hominum vita habet, eum in arte ipsa obtinere videntur — sint ornamenta, quibus carere possemus, sed si carere deberemus, eorum desiderio flagraremus eaque requireremus.

Sed epitheta sunt etiam ornamenta vetustissima. Postquam enim homines, quae mente conciperent exprimere didicerunt, apud omnes gentes, quae non penitus immanes et barbarae manserunt,

tamquam primi ingenii humani flores, mythorum, ut graeco utar verbo, illa copia coorta est. Qui quidem sive ad deos sive ad homines tantum pertinent, semper imaginationis, ut ita dicam, vi posteris memoriae traditi sunt. Quae vis in mythis ad deos spectantibus cum ultra modum hominibus constitutum egreditur, numen divinum natura vitaque hominum accurate perspecta, ut menti satisfaciat, in permultas dividit personas, iisque divinis personis, qui natura fere humana utuntur, plurimas res gestas affingit; si mythi de rebus humanis agunt, eadem vis, ubi primum gens aliqua res a viris de se meritis gestas memoria tenere incipit, in rebus ipsis propagandis et confingendis maxime viget et, tamquam veritati inservire vellet, temere res fictas rebus fide historica comprabatis adjicit. Haec imaginationis vis autem etiam unicuique deo hominive certam quandam et naturae eorum aptam speciem habitumque praebere vult, id quod optime efficit, cum complura, quae eorum propria sint, deligat, et iis fere solis attribuat, et ubique, etiam locis minime aptis epitheti brevis usu addicat.

Qua in re Homerum quoque mythorum illorum vetustissimorum auctoribus connexum esse magno numero epithetorum ornantium ejus demonstratur. Quod facile intelligitur neque auctoritatem gravitatemque Homeri ullo modo minuere potest. Nam cum jam ante ejus aetatem poetae epici carminaque heroica fuissent dicendique genus a prioribus poetis traditum et proprium poesis epicae formatum esset atque cum dicendi genus in carminibus epicis, quod mythi ante omnia iis continentur constantius quasi et magis assiduum quam aliorum carminum esse deberet, ipse poeta maxime ingeniosus a quibusdam vulgi propriis et priscis artis poeticae modis solvi non potest, quamquam carminibus suis ad summum elegantiae gradum pervenit. Et in his ipsis rebus retinendis haud scio an auctoritas et gravitas Homeri posita sit. Etiam hic naturalis est et simplex, cum Vergilius[1]) cuius Aeneis conscientia populi et vitae publicae non nitatur, in epithetis ponendis saepissime facere non possit, quin nimiam adhibeat artem ac diligentiam. Nos ipsi jam sape in hac nostra exigua Saxonum gente vidimus. dfficillimum esse, res in vulgo ipso ortas sermone et numeris ab illo inventis satis eleganter et secundum artis praecepta desribere. Quam ob causam quanti Homerum astimandum putabis, qui cum et artis leges et a priorum poetarum saeculis traditum modum sequatur, tamen nullo modo ineptus et longinquus esse videatur?

Ac praecipue epitheta a doctis viris maxime demonstrare putantur, poesim Homeri multis saeculis post mythos illos, de quibus supra diximus, confictos ortam esse. Nam ut praetermittam, pluribus locis aliorum mythorum mentionem fieri, qui cum fabulis, quibus argumentum Iliadis et Odysseae continetur, nullo modo cohaerent itaque jam antea orti esse debent[2]) etiam plurima epitheta ornantia jam in carminibus ante Homerum compositis fuisse necesse est, epitheta non solum deorum, sed etiam plurimorum heroum. Si, ut hoc exemplo utar, Apollo (Il. I., 37) ἀργυρότοξος nominatur, hoc est jam a prioribus poetis deo illi adjectum epitheton; similique ratione judicanda sunt epitheta illa Aurorae: ἠριγένεια, κροκόπεπλος, ῥοδοδάκτυλος, φαισίμβροτος, χρυρόθρονος, εὔθρονος alia; prioribus enim temporibus personae deorum accuratius describebantur. Singulorum autem heroum virorumque fortium epitheti; etiam manifestius fit, Homerum priorum auctorum exempla secutum esse. Nestor (Il. II., 336 aliisque locis) ἱππότα nominatur, quamquam eum nusquam equitantem videmus et Achilles πόδας ὠκύς, ποδώκης, quae quidem epitheta ab antiquioris poesis carminibus repetenda esse videntur et fortasse, ut Bergk (Griechische Literaturgeschichte, S. 838) putat, a carminibus, quae de Achillis agebant juventute, quam Cheirone degit magistro, centauro illo doctissimo.

Multa epitheta plane vetustissima esse, demonstratur etiam, quod, quid significent, usque ad haec nostra tempora jam non satis constat. Unum modo exemplum afferam, quod ex Jordani[3])

---

[1]) Teuffel, Römische Literaturgeschichte, S. 467.

[2]) Cfr. Nitzch, Beiträge zur Geschichte der epischen Poesie der Griechen, Leipzig 1869.

[3]) W. Jordan, Odyssee, Frankfurt a. M. 1875, p. 548.

libro sumo, vocem illam μέροψ. Lexica si evolvimus, invenimus „homines articulate loquentes",[1]) sive „homines infirmi, mortales".[2]) Ex iis, quae Ilias I, 250 μερόπων ἀνθρώπων legimus, effici posset, in voce significationem inesse spectantem ad breve vitae tempus homnibus concessum, cum Nestoris senectus et ejus aucta annis experientia et usus rerum praedicentur; et ex Il. IV, 340 colligi deberet vocem μέροψ hominem brevis vitae, non articulate loquentem significare, si in eo loco hoc sententiae inesse putamus: omnium rerum, quae hominibus delectationem parant, quae quidem paucae sunt, voluptas amatoria sine dubio optima esse videtur, quamobrem nemo eam dimittat. Il. II, 285 lexicographos ut μέροψ in illud „articulate loquens" transverterent commovisse credo, cum nullo alio loco μέροψ ita transverti posset, nisi verborum vi et sententia vehementer violata. Odysseus enim dicit in contione:

Ἀτρεΐδη, νῦν δή σε, ἄναξ, ἐθέλουσιν Ἀχαιοί
πᾶσιν ἐλέγχιστον θέμεναι μερόπεσσι βροτοῖσιν

Atrida, nunc te, rex, volunt Achivi omnibus probrosissimum reddere articulate loquentibus mortalibus i. e. in ore omnium mortalium. Sed horum verborum sententiam accuratius perspexisse Jordanus mihi videtur; dicit enim: „Die feine Meinung des Odysseus ist offenbar: die Schuld der Nichteroberung Ilions werden in Wahrheit die Achaeer tragen; die Schande aber bei allen X . . . Menschen wird den Agamemnon treffen. Es würde also poetisch und stilistisch ganz vortrefflich sein, wenn μέροψ diejenige Eigenschaft der Menschen bezeichnet, welche sie verhindert, in solchen Fällen den wahren Zusammenhang einzusehen und welche sie verleitet, den unschuldigen Heerführer zu verurtheilen, anstatt das meuternde Heer, das die Vollendung seines Unternehmens unmöglich gemacht hat." — Praeter versum 311 hymni in Cererem pracipue Odysseae XX, 45—51 vocem μέροψ providentia sapientiaeque divinae contrariam esse et humani animi debilitatem significare demonstrat. In Od. XX, 45, sqq. homo mortalis deo oppositus, praesidio semper juvantis et praesentis deae Athenae „γλαυκῶπις" (etiam in tenebris omnia perspicientis) solatio afficitur:

Εἴπερ πεντήκοντα λόχοι μερόπων ἀνθρόπων
νῶϊ περισταῖεν, κτεῖναι μεμαῶτες Ἄρηι,
καί κεν τῶν ἐλάσαιο βόας καὶ ἴφια μῆλα.

Ex quo colligi potest, voce μέροψ illam animi humani imbecillitatem, divinae mentis aciei contrariam, significari (compositum enim est: ex μέρος et ΟΠΤ cum sententia transitiva); homines ignoriorum debilitate impediti partem modo rerum perspicere possunt, eorumque judicium igitur saepissime perversum est. Itaque vox μέροψ maxime contraria est illi Jovi proprio epitheto „ευρύοπα", quam vocem multi „late dicens"[3]) „late auditus" falso interpretantur, quod epitheton vero nil nisi „late videns" „totum mundum perspiciens" „cuius notitiam nulla res effugit" dicit.

Epitheta hujus generis, quae cum a Graecis ipsis post Homerum viventibus, lexicographis testibus, jam non intelligebantur, quaeque ab iis non percepta audiebantur, Homeri temporibus in populo ipso vigebant; nam vates et apud principes et apud reges et in populi concionibus carmina sua pronunciantes iis fere semper utebantur. Cum enim ex tempore carmina componerent, fieri non potuit, quin non solum epitheta perpetua, sed etiam perpetuos saepissimeque repetitos versus adhiberent ad carmina incipienda invocandasque Musas, ad quaerendum respondendumque ad omnes res, in natura

---

[1]) Pape, Griechisch-deutsches Wörterbuch, II, S. 133: οἱ μέροπες: 1) Die Menschen, die articulirt sprechen, die einzelnen Laute und Sylben trennen und deutlich hören lassen, zum Unterschiede von den Thieren, die nur unarticulirte Laute hervorbringen.

[2]) Suhle, Griechisch-deutsches Wörterbuch.

[3]) Cfr. Pape, Griechisch-deutsches Wörterbuch, I, S. 985, εὐρύοπα: „entweder der weitschauende (ὤψ, εὐρύωψ) oder von ὄψ der weittönende, weitdonnernde (wenngleich ὄψ sonst nur von der articulirten Stimme gebraucht wird)".

et vita humana semper redeuntes describendas, ut dierum noctiumque vicissitudinem, sacrificia, coenas, lectum sternendum, ad alias res. Quarum rerum cum permulta etiam in Homero inveniantur, ut a nobis jam ante dictum est, non est, cur miremur, quod Homerus in carminibus suis id quod a populo Graeco jam ante constitutum erat, in arte poetica sequi vellet.

Itaque nunc nobis quantopere Homerus, cum epithetorum perpetuorum usu carmina sua ad leges priorum poetarum carminibus traditas formaverit artis ipsius praecepta secutus sit — quaestio exstat. Illis quidem, quorum judicium in recentioris aetatis carmina epica se formaverit, multum miri ridiculique habet, si apud Homerum epitheta illa legunt, quae rerum narratarum ratione nullo modo habita ubique ponit: ut Jupiter plenus Junonis timoris θεῶν κράτιστος appellatur. Juno infinitis prope et inumerabilibus locis λευκώλενος, Menelaus βοὴν ἀγαθός, Achilleus πόδας ὠκύς, quamquam in tentoriis sedent, Ulyxes cum prudentia ejus eum quasi deserit, πολυμήτις. Et paene absurdum ineptumque nobis videri debet, coelum, cum clara dies sit sideribus illustre, navem in portu quoque tuto velocem dici, permirumque putandum. Circen, de cuius veneficio antea dictum sit, πότνια, Cyclopem in specu suo μεγαλήτωρ ἀνδροφάγος, Achivos, cum superstitione quadam capti fugiant, μεγάθυμοι appellari.

Sed si carmina homerica quomodo orta sint, accuratius perspicimus, haec omnia a nobis facile intelliguntur. Cum enim permultis poetarum illorum ante Homerum carminibus et mores et res gestae deorum virorumque fortium saepissime celebrata essent, atque carmina illa et praesertim quae in iis de natura deorum hominumque moribus dicta erant, apud omnes Graecos magis magisque innotuissent, certe si quis epitheta illa πόδας ὠκύς vel πολυμήτις pronunciaret, eum totum jam Achillem, totum Ulyxem ante oculos Graecis quasi posuisse mihi quidem persuasum est. Quae enim virtutes in fortissimo acerrimoque illo Achille vel in callidissimo Ulyxe eminebant atque elucebant (in altero velocitas, in altero calliditas), eae cum nominibus eorum tam artis vinculis conjunctae erant, ut ipsis nominibus fere semper apponerentur et ad commutandam verborum sententiam nihil valerent. Epitheta haec perpetua, cum, ut a nobis dictum est, ad formandam explicandamque verborum sententiam minimi sint momenti, cognomina esse videntur nominibus ipsis adjuncta, (et „si parva licet componere magnis", nominibus illis comparari possunt, quae a quadam aut animi aut corporis proprietate repetita Germanica lingua „Spitznamen" vocantur). Si naturam autem eorum spectas, rerum hominumque quibuscum conjunguntur, propria summatim modo exponere volunt, et quae eis adumbrata tantum sunt, exquisitis deinde epithetis illustrantur.

Cum autem poesis Homeri ad leges a prioribus poetis traditas sese accomodaverit, haec epitheta perpetua a nobis non solum naturalia sed etiam venusta haberi debent, quibus ea, quae narrantur, cum generale singulari opponant, distinctiora et illustriora fiunt. Si enim Achivi, quamquam dissipati perturbatique sunt, μεγάθυμοι apellantur, ut hoc exemplo utar, hoc non tam perverse dictum est, quam nobis primo aspectu videatur. Nam primum quidem hoc epitheton nos admonet, ne rerum antea ab eis saepissime bene gestarum obliviscamur, tum autem ut fugam illam, cum virtutes eorum prius spectatae in mentem nobis veniant, improvisam et inopinatam habeamus. At non solum hoc sed fere omnibus locis, quibus epitheta perpetua verborum sententiis contraria videantur, facile inveniemus, mentem cogitationemque eorum, qui legunt, eis non perturbari sed ad facilius intelligendum incitari. Equidem credo, Homerum, nisi hoc scivisset, epithetis perpetuis nullo modo usurum fuisse. Quam sapientem autem se praestiterit in adhibendis eis, ne epithetorum perpetuorum crebriore usu ad similitudinem rhapsodorum, qui vocantur, ex tempore carmina pronuntiantium accederet, quis ignorat? unum quemque deum virumque fortem uberrima exquisitorum epithetorum copia nonne exornat? praeter illud πολυμήθις triginta fere alia Ulixi epithetha, praeter illud ποδώκης fere viginti adjungit Achilli.

Quid interest autem inter epithetorum perpetuorum et exquisitorum naturam? Sunt epitheta ornantia et depingendis vel exprimendis rebus quaecumque narrantur iis, qui audiunt sive

legunt, ante oculos ponere volunt. Sed epitheta perpetua hoc efficiunt, cum omnium rerum naturam summatim modo exponant; epitheta illa exquisita ad res ipsas propius quasi accedunt propriamque earum magis sequntur naturam.

Epitheta perpetua, quae fere omnia a prioribus poetis tradita sunt, saepe tam ampla minimeque definita esse videntur, ut viris, qui criticae operam dant, minime probentur supervacaneaeque putentur.[1]) Ineptum ab eis habetur, Homerum lac ἡδύ vel λευκὸν, nivem ψυχρή, ignem καιόμενον sive φλεγέθον, caelum εὐρύς, montem ὑψηλὸν, mare πολιή sive ἀπείρων aquam ὑγρὸν nominare. Nos autem cum haec epitheta ad universam rerum naturam spectantia ex ipsa rerum contemplatione profluxissi putemus eaque ex prima quasi populi graeci infantia originem traxisse sciamus, eo magis ea admirabimur, quo majorem Homeri carminibus veritatem, ut ita dicam, simplicitatemque praebeant. An Homerum aliquid quaesiti prae se ferre velle putares, si voci illi γάλα (Il. VI, 434) λευκὸν, voci illi θάνατος (H. III, 309; IX, 411) τέλος apposuit? (confer apud Vergilium illud „extrema mors" Aen. II, 447). Poëta enim res ipsas, quales sint, perspicit; quaeque ab eo cognita sunt, nuda nobis et simplicia proponit. Sed si rerum naturam accuratius describere vult, quis eum umquam adaequare potuit? Hoc certe constat et a nobis jam antea dictum est, Homerum epitheta perpetua numquam adhibere, si res diligentius explicaturus est, cum in investigandis pulcherrimis epithetis ubique se praebeat ingeniosissimum. Quis non admiretur illud ὄρος εἰνοσίφυλλον (Il. II, 632; Od. IX, 22) aliaque talia, quibus peritissimum se praestitit artificem?

Quo factum est, ut recte elegendis apteque adhibendis epithetis ubique admirabilem suorum carminum elegantiam et amoenitatem assequeretur, ad quarum similitudinem ne Vergilius quidem, Homeri aemulus illustrissimus, umquam pervenit, id quod intellectu non est difficile. Neque enim Vergilius totius suae Aeneidos fundamenta posuit in populo ipso Romano, et cum artis solius rationem haberet, saepissime nimiam adhibuit artem ac diligentiam, ut loco elegantiae inveniamus in epithetis genus dicendi omni varietate carens. Nam si Aeneas semper pius, Tiberisque flumen semper flavum nominantur, et si epitheta illa[2]) „ingens" centies quinguagies bis et „immanis" quadragies ter posita sunt, haud scio an ea quod volunt non assequantur. Et si Homero Vergilium comparare vis, Vergilium in epithetis omnino deteriorem esse dices Homero, cum neque illud ingenium habeat ad excogitandum acutum neque animum illum sollertem. Itaque permultis locis interpres modo est Homericorum epithetorum, id quod his fere exemplis demonstratur[3]):

A. Hominum a deorum epitheta ab Homero ducta.

„Hinc populum late regem" Aen. I, 21. cfr. Il. I, 102. 355 et alibi εὐρυκρείων Ἀγαμέμνων.
„dea saeva" Circi Aen. VII, 19. Od. X, 136. δεινὴ θεός.
„laeta dolis" Circe Aen. VIII, 393. Il. XIV, 329. δολοφρονέουσα
„dolis instructus" Ulisses Aen. II, 152. Il. IV, 339. κακοῖσι δολοῖσι κεκασμένος.
„fandi fictor" Ulisses Aen. IX, 602. Il. XXII, 281. ἐπίκλοπος μύθων.
„Os humerumque deo similis" Aeneas. Aen. I, 589. Od. VI, 229—35. Od. I, 371. θεοῖς ἐναλίγκιος αὐδήν.

B. Bestiarum et rerum epitheta ab Homero ducta:

„Perpetui tergo bovis" Aen. VIII, 183. Il. VII, 321. Od. XIV, 437. νώτοισιν διηνεκέεσσι.
„flumine pulchro" Aen. VII, 430. Il. II, 752. Il. XII, 33. καλλίρροον ὕδωρ.

---

[1]) Jordan, Odysee, S. XX.
[2]) Hertzberg, Aeneis, Stuttgart 1859, S. IX.
[3]) Cfr. P. Richter, de Vergilio imitatore poetarum graecorum, diss. Rostoch 1870.

„indomitae vires flammae“ Aen. V, 681. Il. V, 4. XV, 598. 731. XVI, 122 et alibi, Od. XX, 123. XXI, 181. ἀκάματον πῦρ.
„ambrosiaeque comae“ Aen. X, 403. Il. I, 529. ἀμβρόσιαι δ'ἄρα χαῖται.
„versicoloribus armis“ Aen. X, 181. Il. III, 327. ποικίλα τεύχε' ἔκειτο.

Restat ut de quibusdam epithetis ornantibus dicam, quae non tam certas proprietates rerum et hominum significent, quam sint nomina ordinem dignitatemque virorum et feminarum notantia. Carmina enim Homeri cum temporibus composita sint, quibus nobilia Graecorum genera auctoritate valerent resque publicae fere ubique ab optimatibus gubernarentur, mirum non est, quod ab illorum temporum quasi ingenio et indole nullo modo dissentiunt, praesertim cum rhapsodi apud principes et nobiles ante omnia versarentur. Itaque unicuique principi non solum, sed etiam viro inter ceteros excellenti et servo quoque, ut Eumaeo, nomen apponitur dignitatem et ordinem ejus significans. Cum autem usque ad Pisistratum tyrannum populique imperium ac potentiam restitutam appellationes illae et ornamenta jam deletae essent, docti viri hac in re nihil aliud facere potuerunt, quam ut conjecturas constituerent, id quod G. Jordanus ingeniosissime fecit.[1]) Quem si ducem sequimur, ὄρχαμος est dux ὄρχαμος λαῶν summus dux, ὄρχαμος ἀνδρῶν is qui ordines ducit sive, ut Eumaeus, custos alicujus rei; ἀγανός significat aliquem summis locis natum, καρηκομόων eum, qui cum non servus sit, capillum promissum habet; βασιλεύς, quod, si verbi originem spectas, nostrum „Herzog“ esse videtur, erat, ut Od. I., 394 effici potest, vir minoris auctoritatis; διογένης est homo regii generis, διοτρεφής princeps ut nos dicimus „de dei gratia“. Et si in carminibus illud (Αλκινοω) ἱερὸν μένος sive (Τελεμάχου) ἱερὴ ἴς invenimus, ea non dubito nostris Germanis verbis comparare: „ S. Majestaet, Hoheit, Durchlaucht“ cet.

Nomina etiam patronymica aliquid honesti habere et ad honorandos homines adhiberi, si alia dignitatis nomina desunt, colligi potest ex Il. X, 68 sqq. Ibi enim dicit Agememnon Menalao fratri:

φθέγγεο δ' ᾗ κεν ἴῃσθα, καὶ ἐγρήγορθαι ἄνωχθι
Πατρόθεν ἐκ γενεῆς ὀνομάζων ἄνδρα ἕκαστον,
Πάντας κυδαίνων μηδὲ μεγαλίζεο θυμῷ.

Et Od. I, 429. Euriklea cum appelletur: Ὦπος θυγάτηρ Πεισηνορίδαο et quasi nobilior fit, cum pater et avus ejus afferantur. Omnia haec epitheta, cum homnibus dignitatem quandam praebeant, Homeri genus dicendi reddunt multo gravius et majestatem ei quandam impertiunt.

Si omnia breviter complecti volumus quae de epithetis ornantibus cognovimus, epitheta non inania sed plena ingenii, vetustissima cumque mythis ipsis coorta ornamenta graecae et praesertim Homericae poesis esse videmus. Atque Homerus inter omnes excellit poetas, cum et artis et priorum poetarum legum pari modo ratione habita in epithetis perpetuis adhibendis modum teneat, ingenioque suo strenuo et industrio uberrimam copiam pulcherrimorum epithetorum exquisitorum sibi paret. Epitheta ipsa autem rerum tantum proprietates commemorant, quae jam natura earum contineantur, et Homeri carminibus simplicitatem dignitatemque naturae convenientem attribuunt. Nugae illae acutae et salsae, quae in poetis imperatorum temporum inveniuntur apud Homerum nullum habent locum.[2])

---

[1]) W. Jordan, Odyssee. S. XXIII.

[2]) Cfr. G. Kopetsch, de differentia orationis Homericae et posteriorum epicorum in usu epithetorum certis substantivis vel certo substantivorum generi plus minus adhaerentium. Lyck 1873. Jahresbericht des Gymnasiums.

Kopetsch epitheta Homerica dividit in:

De comparationibus.

Epitheta ornantia aut hominibus aut rebus singulum quiddam earumque naturae conveniens adjicere et res et homines, ut sunt, ante oculos eorum, qui audiunt sive legunt, ponere vidimus: comparationes autem similibus rebus colligendis depingendisque, quae alibi spectari possunt, rerum hominumque naturam illustrare et rebus non omnino paribus sed similibus demonstrandis menti et

---

A. epitheta animantium.

Cap. I. epitheta, quae diis plerumque ab Homero tribuuntur.

1. ἀγκυλομήτης, callidis consiliis utens, versutus; epith. perp. Croni (Saturni), qui Uranum patrem dolo cepit.
2. ἐρίγδουπος et ἐρίδουπος, alterum Jovis tonantis epitheton, alterum rerum.
3. νεφεληγερέτα. Ex νεφέλη et ἀγείρω ortum est epith. Jovis, qui nubes cogit.
4. ἐνοσίχθων attrib. unius Neptuni terram moventis.
5. βροτολοιγός (ex βροτός et λοιγός) = ὁ βροτοὺς φθείρων Epith. Martis.
6. θοῦρος (θορεῖν) epith. Martis.
7. ἐνυάλος ἐνυώ) bellicosus. epith. Martis.
8. ἑκήβολος, sive ab ἑκάς et βάλλειν, sive ex ἑκατηβόλος, syllaba ατ elisa, factum significat eum, qui jaculis vel sagittis eminus missis, quod petit, attingit, apud Homerum perpetuum Apollinis, subitae pestilentiae et mortis effectoris, epitheton.
9. βοῶπις, grandibus oculis praedita, Junonis potissimum ad deae majestatem ac severitatem designandam epith.
10. γλαυκῶπις, lucidis oculis praedita, soli Minervae, sapienti illi belicosaeque deae ab Homero attributum est.
11. εὐστέφανος, pulchre coronata. Epith. Veneris, Dianae etc.
12. ἀελλόπος (ἀελλόπους), vento celeritate par, velocissima (Iris).
13. εὐπλόκαμοι ab Homero tantummodo mulieres vocantur, imprimis deae.

Cap. II. epitheta, quibus H. heroes potissimum exornat.

1. δαΐφρων, expertus. in bellicis rebus bellicosi, in pacatis prudentis habet notionem, vulgatissimum heroum epith.
2. ὑπέρθυμος, magnanimus, plerumque de herois, numquam de diis
3. πολυμήχανος
4. πολυμήτις
5. πολύτροπος
6. τλήμων } Ulixis epith.
7. δολόμητις, Aegisthos Agamemnoni insidiatus, Klytaemnestra, Helena etc.
8. αἰχμητής, fortissimis viris ab Hom. attributum.

Cap. III. epith.. hominibus ab H. attributa.

1. ἀνιηρός. 2. ἀναιδής. 3. οὐτιδανός. 4. ἄρχετος, 5 αἰδοῖος. 6. βαθύκολποι. 7. ἐνηής. 8. εὔκομος. 9. θηλύτερος. 10. νηπίαχος 11. νόθος. 12. ὀτρηρός. 13. ὑπερφίαλος.

Cap. IV. epith. bestiarum nominibus apposita.

1. ἀμαιμάκετος. 2. δαφοινός. 3. εὐτρεφής. 4. καρχαρόδους. 5. ταλαεργός. 6. χρυσάμπυξ. 7. ὠκυπέτης.

B. epitheta rerum.

I. Epith. partium corporis humani.

1. ἁπαλός. 2. ἄπαπτος 3. βλορυρός. 4. λαριύς.

II. Ep. rerum artificose fabricatarum.

1. ἀργύρεος 2. δαιδάλεος. 3. ποικίλος. 4. μορόεις

III. Ep. armorum

1. ἀμφίβροτος 2. βριαρός. 3. ἑπταβόειος. 4. ὀμφαλόεις.

IV. Ep. ignis.

1. ἀκάματος 2. μαλερός.

V. Ep. aquae.

1. διϊπετής. 2. δινήεις. 3. ἰοειδής. 4. ἰχθυόεις 5. κελάδων. 6. πολύκλυστος. 7. πολύφλοισβος.

cogitationi eorum qui audiunt, subvenire quasi volunt. Si singula modo aut pauca inter se comparantur id „simile per brevitatem“ nominamus (Vergleichung) sin autem uberius fusiusque disputatur, ut absoluta et perfecta imago effingatur, hoc est collatio sive comparatio (Gleichniss).

Ubicunque imaginationis vis acris et ardua est, ibi translationes et figurae comparationesque frequentissimae sunt. Gentes ad orientem versus incolentes, quorum animi nondum imbuti sunt siccitate illa et sobrietate, usque ad hanc nostram aetatem animum sibi conservaverunt integrum et incorruptum earumque genus dicindi imaginibus distinctum et abundans mansit. Aliae gentes autem haec ornamenta, quae ex usitati sermonis genere jam diu evaserunt, in poetico dicendi genere conservare studuerunt. Poeta enim qui id operam dat, ut eum, qui audit sive legit, in errorem quendam poeticum et eum quidem gratissimum inducat et ad pulchrum et venustum quasi attollat, ante omnia etiam venusto et pulchro dicendi generi studere imaginationisque ubertate uti debet quam maxima. Semper igitur sermo figuris comparationibusque distinctus multo praeferendus est sicco et sobrio, sed non minus cavendum, ne quis argumentis ipsis fere neglectis redundanti, ut ita dicam, et superfluenti quadam dicendi licentia nimioque orationis ornatu et cultu modum egrediatur. Homerus ipse testis est, qui in Iliade sua, quo in carmine summo splendore et aparatu utitur, centum octoginta duas, in Odyssea autem molto simpliciore undequadraginta modo comparationes adhibeat, easque per singula carmina rerum narratarum ratione habita cum magna varietate disponat.

Ne sit igitur imaginationis vis effrenata, nec libera vagandi quasi facultate utatur, nisi quae ea effinguntur, diffluere et dilabi vis, sed certae quaedam leges ei observandae sunt, quibus omnia contineantur, circumscribantur, animentur. Summa lex poetae est innata quaedam elegantia, quae in varietate rerum posita ad simplicitatem tamen pertineat; cuius vis cognoscitur rebus ipsis eligendis, genere dicendi perspicuo, illustri, apto, quaeque ad singularem illam summae perfectionis speciem animo et cogitatione conceptam attrahit. Quam speciem, quamquam in vita humana nusquam invenias, permultis locis temporibusque apud nos quasi effigiem sui reliquit, quam ubi reperit poeta, in sua convertit, et ad carmina sua componenda adhibet. Poeta enim non solum totum suum carmen sed etiam partes certis artificii signis notari vult, et si Homeri comparationes accuratius perspeximus, mox quomodo ille artis praecepta et leges secutus sit, videbimus, quod quidem optime cognoscemus, si prinum disputabimus de argumentis comparationum Homeri, tum autem quo modo argumentis illis usus sit.

1. De argumentis[3]) comparationum Homeri.

Cum poeta singularem illam animo informatam summae perfectionis imaginem assequi velit resque humanas ob eam causam nobis ut sunt ante oculos non ponat, tamen eae carminibus ut lux solis quasi repercuti debent, quod illis penitus neglectis nos in illum poeticum, de quo supra diximus, errorem deducere non potest, a nobis non intelligetur. Ut autem Homerus epithetis suis comunia modo et naturalia in rebus et hominibus ostendit nostrosque animos vehementissime permovet, ita etiam in comparationibus suis ad ea, quae facillime ad intelligendum sunt, eum descendere videmus. Cum enim aciem mentis a consuetudine oculorum abducere velit, eis qui legunt vias quasi expedire et omnia quae ab eis jam visa et cognita sunt, in sua convertere debet. Num Helena illa vere a

VI. Ep. terrae.
1. χυτός. 2. ἠλίβατος.
VII. Ep. montium.
1. νιφόεις. 2. αἰγλήεις. 3. πολυδειράς.
VIII. Ep. lapidum. τρηχύς.

[3]) Cfr. Arnoldus Passow, de comp. homericis. Berolini 1872.

Trojano quodam principe marito abducta sit, num omnes Graeci hanc ob causam ut injuriam ulciscerentur, expeditionem adversus Trojanos susceperint, cui fortissimi viri et clarissimi principes intererant? num Achilles umquam fuerit Agamemnoni iratus, num omnino bellum Trojanum? — haec omnia sunt virorum illorum doctorum, qui historiae operam dent nobis autem qui de poetica Homeri arte et venustate judicemus, mediocris modo pretii. Sed hoc certe constat, hominum mores ac naturam bellique administrationem cetera, quae quidem in Homeri carminibus depingantur, ab Homeri aetate nullo modo abhorruisse nec quisquam dubitabit, quin quo Homerus, eodem modo etiam Graeci naturam rerum perceperint. Ii qui audiunt, ex rebus sibi cognitis, ex sua quasi mente et cogitatione paullatim ad summa attolli debent, quo fit, ut comparationes, quae poetae consiliis subveniunt, numquam quaesitae nimisque acutae, sed semper simplices naturalesque sint.

Ingenium illud nostrae aetatis et praesertim nostri saeculi proprium, quod ad historiam ante omnia se vertit, et vis illa aciesque animi ad praeteritorum saeculorum res perspiciendas aptissimae veteribus multo minus erant, quam nobis; et ut apud nos vulgus in historia non versatum suas res, consuetudines, opiniones apud alios quoque populos locorum temporumque satis magno intervallo a se segregratos esse putat, poetae etiam antiquitatis mores et opiniones suorum temporum in carmina sua recipiunt etiamsi eorum argumenta ad saecula pertinent jam diu praeterita. Ovidius, ut hoc utar exemplo, templum heroicis temporibus aedificatum (Met. II, 1, sqq.) describit, quod ex multo posterioribus temporibus translatum est, et (Met. I, 398) Deucalioni dat vestem populi Romani propriam. Atque ut ex picturis artificum Italicorum mores, vestitum, cultum eorum temporum cognoscere possumus, ita etiam ex comparationibus et descriptionibus Homericorum carminum illius aetatem facile perspicimus. Nam hae comparationes pertinent ad totam vitam humanam, ut erat illis temporibus et argumenta earum electa sunt sine ullo artificio. Sed quomodo aetas Homerica fuerit historici videant, nostrum erit, hoc loco argumentis comparationum demonstrandis, quam naturales, simplices, venustae sint, ostendere. Si quo loco certe comparationibus plane et dilucide comprobatur, Homeri ingenium ad universum spectans fuisse. Earum argumentis enim tota rerum natura totaque vita humana continetur, ut mundus quasi per se inesse eis videatur. Itaque operae pretium fore credo, comparationes Homericas earumque argumenta non recensere modo et enumerare, sed totam etiam materiam quae eis inest, quasi exstruere. — Longe maxima pars comparationum Homericarum e natura ipsa assumpta est, ita ut variis illis descriptionibus, quomodo Homerus ejusque aequales naturam perspexerint, accurate cognosci possit. Res coelestes, tempestates, animalium et plantarum vita proprietatesque earum nobis comparationibus ante oculos ponuntur. Unum exemplum proferre satis erit; unum et plenum comparationum carmen excerpamus, quintum Iliadis librum, qui de rebus a Diomede gestis agitur. Arma ejus nitent stellae auctumnalis similia (v. 5) ipse autem furibundus fertur per campum ut fluvius inundans, qui velociter fluens pontes dissipat, multae autem eo dejectae sunt segetes laetae juvenum (v. 87); vulneratus tum irruit in Trojanos instar leonis, quem apud lanigeras oves in agro perstrinxit pastor (136). Tunc autem corripit Echemona Chromiumque ut leo inter boves insiliens cervicem frangit juvencae vel bovis (161). Dei similis aggreditur Martem et Apollinem, Trojani autem eum fugiunt ut canes leonem (459, 884), Achivi albescunt pulvere, ut viri, quando utique flava Ceres secernit ventis et fructum et paleas (499); stant autem immoti, nubium instar, quas Saturnius sistit in summis montibus, quando dormit vis Boreae aliorumque ventorum (522). Duo juvenes manibus Aeneae domantur, ut leones interfecti virorum manibus aere acuto (554) deciduntque ut abietes procerae. Sed Diomedes Hectorem conspicatus cohorret, ut homo consistit ad rapidum fluvium in mare profluentem, spuma frementem (595) et Mars vulneratus in caelum redit, ut ex nubibus nigra apparet caligo (864). Juno et Minerva pavidarum columbarum incessu similes eunt (778); circum Diomedem Achivi stant conferti ut leones cruda vorantes vel feri apri silvarum; Juno clamat Stentori assimulata (786), qui tantum vociferabatur, quantum alii quinquaginta.

Jam hoc unum exemplum contestari potest, quam accurate et diligenter vel minimis rebus non omissis naturam Homerus contemplatus sit. Nobis autem etiam aliarum pulcherrimarum ejus imaginum in mentem venit. Scimus Homerum imbres nivales grandinesque ex aethere alto demmissas animadvertere (Il. III, 222. XII, 278. XV, 170. XIX 357) turbines illas pulveris vento concitatas (Il. XIII, 334 sqq.) spumam navem tegentem, si undae superinveniunt (Il. XV, 625) aut si creber tumidus fluctus volvitur spumaque in altum spargitur (Il. IV, 426. XI, 307). Homerus palearum receptacula subalbicare ventumque differe paleas per aream (Il. V, 499) fabas et pisa resultare a palis ventilatorum (Il. XIII, 588 sqq.), ventum acervum siccorum granorum differe in partes maxime diversas (Od. V, 368) ostendit. Videmus et ventum folia alia humi fundentem et silvam germinantem alia producentem (Il. VI, 147). Utitur etiam foliis et floribus et arenae granis ut significet quaedam esse inumerabilia (erant, quot folia et flores nascuntur tempore veris. Il. II, 467 sqq. 800 sqq. Od. IX, 51). Comparat quoque ministras Aretes texentes et nentes foliis populi nigrae, partim propter ordinem ab iis sedentibus observatum, partim propter strenuitatem et industriam earum (Od. VII, 106). Priamidae caput inclinatur, sicuti papaver caput in alteram partem inflectit, quod fructu est gravatum humoreque imbris (Il. VIII, 306). Guttas roris in segetibus cognoscit poeta ponitque nobis ante oculos (Il. XXIII, 597) Zephyrum, qui ingentes segetes movet rapidus ingruens et spicas inclinat (Il. II, 147). Il. XII, 52 sqq.) describit nobis germen luxurians olivae, quod agricola loco deserto et riguo diligenter colit, quo loco variis ventis motum albis floribus floret dum subito turbine e terra ereptum graviter prolabitur.

Saepissime animalia quoque in comparationibus apparere et unumquodque in illis proprietatum eorum ratione habita adhiberi videmus. Cervus saepe imago est timoris et ignaviae, lupus cupiditatis rapinarum, audaciae pardus, furoris aper. Leo est exemplum majestatis regiae dignitatisque nobilis, sed etiam imago fortitudinis et virtutis. Tranquillae ovium greges canum et pastorum praesidio indigentes comparantur militibus. Equus multarum virtutum particeps, et bos saepe commemorantur. Columba (Il. XXII, 139) saepissime imago timoris ac pavoris apparet. Ulysses procis instans vulturi comparatur (Od. XXII, 302) aves persequenti et lusciniae quoque tristis cantus mentio fit. (Od. XIX. 518) Sed non solum illa magna animalia sed etiam parva et exigua Homerus animadvertit et describit. Vermis ei in mentem venit humi repentis (Il. XIII, 654) et polypodis, cujus in pedibus cavis et contractis lapides parvi frequentes videntur (Od. V, 432) et teredinum corpus humanum comedentium (Il. XIX, 25; XXII, 509; XXIV, 414). De apibus, vespis, locustis saepius dicitur earumque natura describitur. Veluti muscarum frequentium gentes multae, quae per crates pastorales errant, tempore verno, quando lac vasa rigat, tot contra Trojanos Achivi in campis stabant (Il. II, 469. XVI, 641); cum Minerva Menelaum audacia imbuerit, etiam muscarum fortitudo praedicatur (Il. XVII, 570), praeclarissimaque imagine mater muscas ab infante defendens depingitur. Sicut gentes eunt apum confertarum et in modum racemi volant super floribus vernis, sic Achivi se conferunt in contionem (Il. II, 87). Vespae autem, saepius pugnant cum pueris aut viatoribus. Quam accurate vero Homerus naturam perspexerit, colligi potest ex Il. XXIII, 692 (cfr. Od. XXII, 384), ubi piscis describitur in litore exsultans sive in reti captus et sole vita privatus. Proceres Trojanorum autem in Scaeis portis sedent, cicadarum similes, quae in silvis vocem emittunt suavem (Il. III 150).

Quamquam omnibus eis exemplis, quae a nobis enumerata sunt, sine dubio comprobatur, quam accurate Homerus naturam perspexerit, tamen ubique vel in maxime exiguis plantis et animalibus quiddam eis singulare ad id, quod homines gerunt, spectare videmus. Nusquam apud Homerum de natura sola dici invenimus. Ingenium enim humanum nondum se opposuerat naturae; homo erat ut infans media in natura et erat, ut ita dicam, ipse natura. Videt se omnibus rebus imperare, gaudet pulchras res, quae ubique sunt, et quo quid manifestius et evidentius ei accidat, quo similius rerum

humanarum esse videatur, eo magis animus ejus et mens commovetur. Quamobrem Hess[1]) intelligere se dicit, papilionem, etsi pulcherrimis coloribus distinctus est, apud veteres vix nomen habuisse, nedum a poetis carminibus celebraretur, ut apud nos fieri solet.

Veteres naturam non universum quiddam aeternis legibus gubernatum et divino animo completum intellexerunt, quod animi humani vis et acies perspicere conatur; atque quomodo nos de natura judicamus et quomodo praesertim Goethe noster pulcherrimis carminibus judicavit — tali modo nusqum Homerus.[2]) Klopstockii illud praeclarissimum:

Schön ist, Mutter Natur, Deiner Erfindung Pracht
Auf die Fluren verstreut;
Schöner ein froh Gesicht,
Das den grossen Gedanken
Deiner Schöpfung noch einmal denkt!

ab Homero neque cogitari neque dici usquam potuit. Quamquam enim ingenii ejus acumen neque amoenitatem terrae Graecae neque vim naturae ipsius umquam praetermitit, tamen ipse et ejus aequales naturam praesertim qualem se praeberet animo et corpori, contemplati sunt, amoenitatemque ejus magis in eo positam esse crediderunt, quod nos bene afficeret, quaeque ab ea procreantur, magis adjumenta ad reficiendos delectandosque animos humanos putaverunt, quam ut reconditam propriamque ejus vitam quasi vivere conarentur. Penes hominem est regnum naturae; quaecunque sunt, sunt procreata ut gaudeat fruaturque eis; humana consuetudo eis proponenda esse videtur; naturae res id unum student, ut vitae humanae jucunditates fructusque augeant. Quod quidem praesertim a nobis videri potest, cum nusquam tam plane et dilucide dictum sit, quam comparatione illa in Il. VIII, 554—61:

οἱ δὲ μέγα φρονέοντες ἐπὶ πτολέμοιο γεφύρας
εἵατο παννύχιοι, πυρὰ δέ σφισι καίετο πολλά.
ὡς δ' ὅτ' ἐν οὐρανῷ ἄστρα φαεινὴν ἀμφὶ σελήνην
φαίνετ' ἀριπρεπέα, ὅτε τ' ἔπλετο νήνεμος αἰθήρ·
[ἔκ τ' ἔφανεν πᾶσαι σκοπιαὶ καὶ πρώονες ἄκροι
καὶ νάπαι · οὐρανόθεν δ' ἄρ' ὑπερράγη ἄσπετος αἰθήρ,]
πάντα δέ τ' εἴδεται ἄστρα, γέγηθε δέ τε φρένα ποιμήν.
τόσσα μεσηγὺ νεῶν ἠδὲ Ξάνθοιο ῥοάων
Τρώων καιόντων πυρὰ φαίνετο Ἰλιόθι πρό. —

---

[1]) Hess, Beiträge zur Untersuchung über das Naturgefühl im klass. Alterthum. Rendsburg 1871, Seite 26. Cfr. Lotze, Mikrokosmus III, p. 292, sqq.

[2]) Hess, a. a. O., S. 30. „Die Natur ist bei den Alten noch nicht in ihrer tiefen Verschiedenheit vom menschlichen Geiste erfasst. Die Alten waren noch mehr Natur und sehnten sich deshalb weniger nach reiner, nicht durch das Treiben der Menschen gestörten Natur. Sie standen ihr namentlich in der ältesten Zeit der Griechen, wie Kinder gegenüber, mit lebhafter Freude an ihrem bunten Glanze, an ihren wunderbaren Formen, namentlich der grossen Thiergestalten, welche die kindliche Phantasie so lebhaft und nachhaltig erregen, mit liebenswürdiger Theilnahme der kindlichen Wissbegierde. Aber sie empfanden noch nicht deutlich, dass sie zwar der mütterliche Boden ist, auf dem der menschliche Geist ursprünglich gedeiht, dass dieser sich aber von seinem Grunde loslösen und selbständig werden kann, wenn er auch immer wieder als ein Antaeus zur Natur zurückkehren muss, um sich Frische und Gesundheit zu bewahren.“

Homerum autem quique illius temporibus vixerunt non solum tranquillam voluptatumque plenam sed etiam permultis negotiis molestisque laboribus abundantem vitam degisse, altera pars comparationum suarum nos docet, quae ad res humanas humanaque negotia pertinent. Quot comparationes versantur in rebus sanguineis cruentisque bellis depingendis! Quot urbes obsidentur oppugnanturque aut defenduntur! qnoties ingentes exercitus maxima conclamant voce!

Ex Homeri comparationibus duo hominum genera cognosci possunt, quorum alterum, pastores, venatores, piscatores, agricolae ruri, alterum, cives in urbibus habitant. Gentes graecae Homeri temporibus etsi cultus humanitatisque primordia jam diu egressae sunt, tamen posteriorum temporum politiore cultu illustrissimoque splendore jam caruerunt. Omnes summo studio agriculturae reique pecuariae operam dant, quae quidem studia singulis hominibus divitias et honores comparant, ut *πολύαρνος* (Il. II, 106) et *πολύμηλος* ipsis regibus honorificentissima sint cognomina. Omnes student ut agrorum possessiones accipiant, et vel minima terrae pars (Il. XII, 422) maximo pretio constat. Duo fere nigri tauri vehunt aratrum; collum eorum iugo premitur (Il. XIII, 705. XVIII 543). Solum vomere sulcant, frumentum deterunt moluntque postea; ventilatores in area purgant triticum latis palis (Il. V, 499. XIII, 588). Aquae perducuntur ad humum irrigandam aggeresque exstruuntur, ut flumina prohibeantur inundantia. Vita autem agrestis non solum agricultura, re pecuaria, vitium cultura delectavit jucunditatesque praebuit, sed venatione etiam magnas attulit voluptates. Silvae enim, terras longe obumbrantes plenae erant plurimarum bestiarum, quae cum magno dolore agricolarum in jumenta incursabant; in quibus etiam leones fuerunt. Si quid quod in venando accidat, Homerus describit, tanta utitur diligentia et cura, ut necesse sit, nos eum venatorem fuisse bestiarumque vitam propriis saepissime oculis vidisse putare. Nam quamquam constat, illa etiam auditu comperta habere potuisse Homerum, si maestum mugitum gregum describit subole privatorum, vel si narrat, apros dentium sicas exacuere, priusquam canes incursant, luposque praedae aviditate commotos etiam cadavera comedere, tamen modo is, qui bestias illas ipse vidit, eas tam accurate depingere potest, ut Homerus leonem. An non est mirabile, Homerum non solum magnitudinem, robur, fortitudinem sed etiam cautionem leonis memorare? eum non effugisse, leonem tantum fame et siti vexatum omnia audere, lucem hominumque vocem aversari, insatiabili cupiditate sanguinem et viscera jumentorum devorare aliaque talia? Venatores in venando bestias cingunt (Od. IV, 792) aprisque et pantheris insidias struunt. Pisces autem capiuntur retibus sive hamis praeacutis, captique percutiuntur hasta (Il. VI, 405, Od. X, 124); turdis quoque et columbis laquei tenduntur (Od. XXII. 302) et aquilarum pulli involucres ex nidis exempti (Od. XVI, 216) et ad aves aucupandas condocefacti videntur (Od. XXII, 302). — Cum alia domestica pecora, tum praesertim canes saepius commemorantur. Videmus eos comites fidelissimos et pastorum et venatorum; luporum impetus a gregibus repulsant nasusque eorum sagaces vestigia bestiarum ferarum sentiunt. Neque tamen toties, quoties putare potest, equus in comparationibus apparet. Qui cum in tantis fuisset honoribus, ut ne principes quidem eorumque uxores eum colere dubitarent, neque ad agrum colendum neque quod Graeci non ut barbari gens quaedam equestris erant, ad bellum gerendum adhibitus est, neque in venatione profuisse sed impedivisse videtur. Quam ob rem in comparationibus saepissime et quadrigarum et bigarum mentio fit ad ludos publicos curiculumque equorum adhibitarum. (Il. XX, 23, 162; XXIII, 517 sqq. Od. XIII, 81, alibi).

Pauciores loci, quam ad vitam pastorum venatorumque pertinent ad vitam civium. Quantum nos quidem id dijudicare possumus, tum paucissimae erant urbes et vici. Unusquisque enim more veterum Germanorum circa domum suam habuit, quodcunque silvarum et camporum possidebat, itaque domicilia omnia inter se longe distabant. Quo fit, ut nihil fere audiamus de expugnatis incendiisque deletis urbibus. Majores domus ter modo commemorantur (*δώματα*; Il. XVI, 213; XXIII, 713; XXIV, 317); saepius autem *σταθμός, μέσαυλος, αὐλή*, quae quidem latina lingua villae sunt. Sed etiam secretae a domibus vicorum longe distantes casae a multis habitantur (ab Eumaeo, Melanthio,

aliis; οἰοπόλος sive ποιμήνιος σταθμός). „Ut fons, ut campus ut nemus placuit“ ibi libenter tempus degerunt. Urbes igitur aedificari non jam diu coeptae neque instituta earum legesque jam satis confirmata erant; vitam vivunt more patriarchorum constitutam. Boni reges tamquam boni pastores saluti fortunaeque suorum populorum consulunt (Ἀρετῶσι δὲ λαοὶ ὑπ' αὐτοῦ Od. XIX, 144) legesque omnes exercent (Il. XXIV, 480) Quae ad victum cultumque pertinent paucissima sunt, greges exhibent lac et carnem, campi triticum et hordeum; cultus effussior eis non est notus. Propterea etiam comercium et pecunia non sunt; quod cuique opus est, ipse conficit; et si quid deficit, proximis locis adipiscitur (Il. XII, 433 sqq.)

Variis in rebus homines occupati sunt; pastorum, venatorum, piscatorum, agricolarum mentio jam facta est, et nunc modo nomina eorum afferamus: ποιμένες, νομῆες ἄνδρες — αἰπολοι Od. XX, 173) — βούκολοι — θηρητῆρες — ἐλαφήβολοι (Il. XVIII, 318) — ἁλιεῖς — λικμητῆρες (Il. XIII, 590). Opificum autem sunt notissimi architecti et fabri navales (τέκτονες Il. VI, 315; XV, 411; XVI 212 etc.) fabri aerarii (χαλκεῖς Il. IV, 187, Od. IX, 391), aurifices (Od. VI, 232) figuli (κεραμεῖς Il. XVIII, 601) coriarii (Il. XVII 389), — mulieres occupantur in texendo et tingendo.

Quomodo servi et domini inter se conjuncti fuerint, comparationibus nihil comperimus; neque de vita in familiis ipsis satis multa nobis nuntiatur, id quod haud miraberis, si domicilia crebro commutata vitaeque rationem et institutionem spectabis. Tamen inveniuntur res, quibus familiaris vita pulcherrime describitur. Imago quaedam omnibus temporibus verissima nobis ante oculos ponitur eo loco, quo Achilles flentem Patroclum parvae puellae comparat matrem sequenti multisque cum lacrimis ad vestem ejus adhaerescenti, cum petat ab ea, ut se in manibus gestet; vel eo loco, quo mater ostenditur a filio muscam arcens, quando dulci sopitus est somno (Il. IV, 130). Parentes filios mortuos lugent, amplectuntur ex bello redeuntes; liberi anxio sunt et sollicito animo, si parentes aegroti sunt.

In comparationibus ad naturam spectantibus haud scio an supra dicendum fuerit, quamquam multae comparationes certas regiones accuratius depingere videantur, tamen nullam nobis de patria Homeri quidquam affere. Nam etsi, ut hoc exemplo utar, id quod Grotefend[1]) praeclarissime invenit, comparationes secundi Iliadis libri Ioniam et praesertim oram Lydiae describere videntur, tamen permultae etiam comparationes aliis in libris insunt, quae efficere debeant ut poetam illum in Europa natum esse putemus.

Vidimus igitur in omnibus comparationibus silvam rerum et sententiarum diligenter et accurate a poeta praeclarissimo collectam inesse; non solum magna et praeclara, sed etiam parva et exigua, non solum rara et singularia, etiam vulgata invenimus. Recte igitur Nitzsch has duas praesertim res in Homero praedicat: „ein lebendiges und tiefes Verständniss der Menschennatur und ein Weltbewustsein, welches Natur und Menschenleben umfassend mit seiner Phantasie allgegenwärtig ist und dem so die Bilder aus allen Sphären, die der beflügelte Gedanke nur bewalten kann, zu Gebote stehen.“[2]) Jam autem videamus quemadmodum copiam illam uberrimam rerum effinxerit, cum nunc ad illa summa veniamus:

[1]) Grotefend in Encycl. Ertch und Gruber, Tom. II, 10, p. 228:
„Alle diese Gleichnisse sind so local aufgefasst, dass daraus fast mit Sicherheit auf die Gegend geschlossen werden kann, in welcher er sang“ p. 229: „Vereinigen wir Alles, was in den erwähnten Gleichnissen ausgesagt wird, zu Einem Bilde, so kann man darin die Schilderung Joniens an Lydiens Küste nicht verkennen.“

[2]) Cfr. Ulrici, Geschichte der hellenischen Dichtkunst I, p. 179/222:
„Mit kindlicher Wissbegierde lauscht in homerischer Muse allen Tönen und Klängen, die ihr Sage der Geschichte zuführen; mit weit geöffneter Seele nimmt sie den ganzen Strom des äussern Lebens der sie umgebenden

2. Quomodo Homerus argumentis comparationum usus sit.

Si id, quod comparationes sibi volunt (i. e. sive hominem sive temporis momentum grave dilucidius nobis ante oculos ponere) eis exigi vult poeta, argumenta earum non solum omnia ex rebus notis assumi debent, sed tertium etiam comparationis, quod vocant nullo modo quaesitum esse neque ineptum, sed iis qui audiunt statim in occulos quasi incurrere debet. Comparationes autem Homericas si perlegerimus omnes, ne una quidem nobis objicietur, quam obscuram esse crederes. Permultae exstant comparationes quae cum longius explicatae sint, tertium ipsum comparationis quasi egrediantur, sed ne una quidem, quae illo careat. Si tertium autem illud comparationis spectamus, is, qui carmina attente legerit, haud scio an mox cognoverit, Homerum certam quandam legem observare, quae quidem illius comparationum propria est, et a recentioribus poetis neglecta: numquam ab eo hominem homini, aut rem rei comparari, sed semper ea, quae fiunt (πράξεις) inter se conferri. Quo fit, ut Homeri comparationes cum perspicuitate distinguantur tum vigorem quendam et alacritatem semper spirent. Eo facilius intelligi potest, eas usque ad hanc nostram aetatem optima comparationum exempla haberi.

In comparationibus igitur res singulas non consectandas, non colligendas, sed facta factis modo comparanda esse videmus; quid mirum poetam maxima licentia posse uti in rebus, quae conferantur, eligendis? Quin etiam res possunt conferri, quae si specimen et figuram spectas, nihil commune habere videantur, nisi similitudinem quandam, si commoventur aut si quid agunt. Sed exempla afferam. In mentem nobis venit illius comparationis a viris parum diligentibus parumque subtilibus saepe castigatae, qua Ajax asino comparatur (Il. XI. 558 sqq.). Ajax enim nullo modo exornatur, si cum asino confertur; asinus autem si in opere est, eandem monstrat pertinaciam, quam in Ajace admiramur, cum contra hostes pugnet. Aut quid glandi plumbeae cum Iride commune est? Si jacet, sine dubio nihil! Sin autem in aquam jacitur eadem celeritate, qua Iris ipsa mergitur. Quid dicam de Agamemnone, qui cum tauro (Il. II, 480) de Ulyxe, qui cum ariete (Il. III, 196) de Paride qui cum equo stabulanti (Il. VI, 506) comparatur? Semper tertium comparationis in factis est positum. Facta modo comparantur illa comparatione, qua Diomendes leoni furenti opponitur. Sed haec hactenus! Unaquaeque comparatio mihi afferenda esset; nam ut supra dictum est, semper illa observatur lex, ut tertium comparationis „πρᾶξιν“ modo explicet. Paucae hanc legem neglegunt, cum parvum cogitationi locum praebeant. Cfr. Od. IV, 791 sqq., quo loco tertium comparationis positum sit in illo „μερμήριζε“, in considerando.

Qua in licentia, tertii comparationis natura concessa, poeta tamen id studere debet, ut apta aptis comparet et praesertim legem illam observet, res a consuetudine oculorum sejunctas rebus modo sensibus perceptis opponendas esse. Si enim Vergilius angorem Didonis cum furore Orestis in scaenis comparat, id ei crimini dari debet. Quod vitium Homerus numquam commisit; nam si viros fortes deis comparat, id jure ei ignoscendum erit. Dei enim, qui non sensibus sed mente tantummodo et cogitatione percipiuntur, ad comparationes, si naturam earum spectas, apti esse non videntur; cum autem dei Homerici ubique perfectissimae species sint proprietatis cujusdam humanae, id est rei sensibus perspectae, jure eos adhiberi ad comparationes dices, praesertim cum longiores explicationes removeantur. Quo fit, ut Agamemnon ejusque figura a nobis quasi oculis videri possit, si (Il. II, 477—79) legimus:

Welt auf und lässt ihn in Gesängen und Gedichten wieder herausströmen. . . . Sein Gesang ist nur wie die allgemeine Stimme der Zeit und des Lebens das er besingt. Diese völlige Unterordnung seines Geistes, diese innige Einheit seines Ich's und seines Gegenstandes war nur möglich, sobald er in kindlicher Unbewusstheit selbst nichts Schöneres und Höheres kannte, als was Wirklichkeit, was Sage und Geschichte der jugendlich vergrössernden, der ausschmückenden Phantasie darbrachten; sobald er nur aufnahm und wiedergab und sich selbst wie das gleichgestimmte Gefäss erschien, das die ausströmenden Töne und die Klänge des Lebens und der Aussenwelt zurücktönte.

ὄμματα καὶ κεφαλὴν ἴκελος Διὶ τερπικεραύνῳ
Ἄρεϊ δὲ ζώνην, στέρνον δὲ Ποσειδάωνι.

Majestas, dignitas, cultus regius ejus admiranda sunt. Permovet nos pulchritudo Helenae Ἀρτέμιδι χρυσηλακάτῳ εἰκυῖα (Od. IV, 122); Nausicaaeque forma praeclarissima ante oculos nobis ponitur versibus illis (Od. VI, 151 sqq.):

Ἀρτέμιδί σε ἔγωγε, Διὸς κούρη μεγάλοιο
εἶδός τε μέγεθός τε φυήν τ' ἄγχιστα εἴσκω,

quibus versibus comparatio illa cum palma Delia (Od. VI, 160 sqq.) accedit.

Sed non solum res apte electae, sed etiam bene explicatae cum ad exornandam, tum praesertim ad exponendam comparationem pertinebunt. Si modo res singulares temporisque brevia modo momenta imagine explicanda sunt, saepissime unum sufficit verbum. Si Il. I, 47 νυκτὶ ἐοικώς legimus, hoc uno verbo figura tetrica et tristris Apollinis nobis describitur, et sine explicationibus poetae tristitiam rei perspicere possumus Quod angustum quasi comparationum genus, quod postea in poematis melicis increbuit, paullatim usitatum esse videtur, cum Odyssea posterioribus temporibus conscripta pauciores collationes, plura similia per brevitatem habeat, quam Ilias. Sed etiam collationes quae res fusius explanant, in carmine heroico optimo jure inveniuntur, cum earum fusius dicendi genus naturae et sermoni ejus omnino conveniat et ea quae narrantur, si gravia sunt longique temporis, aliquamdiu quasi persequatur.

Collationes igitur ab Homero praesertim ad proelia depingenda adhibentur. Collationibus autem et similibus per brevitatem semper utitur in ducum controversiis, cladibus, oppugnationibus, naufragiis aliisque talibus rebus accuratius et diligentius enarrandis, ut paucis dicam, si quid grave et mirabile accidit iisque qui legunt, ante oculos quasi ponendum est, ut id quod intelligentiae vim atque rationem fugere videatur, a fide minus abhorreat. Fere numquam simile desideratur, ut hoc utar exemplo, si deum videmus inter homines existentem, quae res propter novitatem ante omnia simili indiget. Dei immortates, si de caelo delabuntur, vel avibus comparantur, ut Juno et Minerva columbis (Il. V, 778). Apollo accipitri (Il. XV, 236) vel rebus coelestibus, ut Minerva stellae, quam cometam Graeci vocant, (Il. IV, 75), Mars caliginosae nubi (Il. V, 864) nebulae densae Thetis (Il. I, 359) nocti Apollo (Il. I, 47). Sin vero in terris versantur, specie divina deposita ab eis incredibiles res geruntur, multa argute et sapienter dicuntur.

Quibus ex rebus colligi potest, et collationes (παραβολή) et similia diversas in partes varia ratione distribui. Jam antea a nobis dictum est, numerum comparationum in Iliade et Odyssea positarum diversissimum esse; hoc loco autem comparationes etiam in singulis carminibus nequaquam numero pares esse demonstrabimus, cum non inania sint ornamenta, sed res narratas quo modo procedunt et commutantur, semper prosequantur. Nonnullis libris carminum Homericorum permultae continentur ut Il. libro II, XI, XIII, XIV XVII, aliis paucissimae ut Il. libro VI, Od. VII, VIII, IX, XIII, XIV, XVI, XVII, XXI, XXIII, XXIV, aliis nullae ut Il. libro I, Od. I, II, III, XV, XVIII. Quod autem in initiis et Odysseae et Iliadis comparationum ornamenta nullo modo inveniuntur, demonstrat, poetas opibus suis quasi pepercisse easque ad gravissimas res tamquam direxisse. Nam si res quae narrantur, at quendam gravitatis, ut ita dicam, gradum pervenerunt, cursum quasi poëta reprimit, quaeque accidunt, imagine quadam dilucida et illustri exponere studet, qua aut narrata memoriae nostrae infingere vult, aut si summae res postea narrantur, animos nostros ad eas componere.

Quo graviores res enarrantur, eo ardentius poeta id studet, ut imaginem suam expingat et exornet, eo minus rationem comparationum accuratius persequendarum habet. Cum ratio ejus sit, facta factis comparare, ei imagine initio instituta aberrare licet. Quo fit, ut non unam solum imaginem nobis praebeat, sed plures saepissime colligat, quibus diversas partes rerum gestarum explanare

vult. Sed exemplum afferam. In Iliadis libro II, 455—483 Homerus sex comparationibus utitur, ut proelia, quae jam incipiunt, memoriae nostrae infingantur. Ac primum universus exercitus quattuor rebus comparatur. Velut ignis edax comburit immensam silvam proculque apparet splendor (ἕκαθεν δὲ φαίνεται αὐγή), sic exercitui fulgor undique colucens per auras caelum ascendit. Sicut avium volatilium gentes multae huc et illuc volitant exsultantes alis, sic Graecorum gentes multae a navibus et tentoriis in planitiem profunduntur Scamandriam infiniti, quot folia floresque nascuntur tempore verno. Veluti muscarum frequentium gentes multae, tot contra Trojanos comantes Achivi stabant in campo, perdere eos vehementer cupientes. Imperatores autem suos in ordines redigunt, ut greges magnas caprarum caprarii facile distinguunt, postquam in pascuis commixti sunt. Agamemnon autem inter imperatores similis est oculis et capite Jovi, Marti balteo, pectore Neptuno. Velut bos in armento longe eximius existit inter omnes, taurus, talem Atridem fecit Jupiter die illo, insignem inter multos et eximium.

Docuisse igitur mihi videor, Homerum lata quadam rerum naturalium descriptione res, quae ab eo enarrantur praeclarissime exornasse comparationibusque apte insertis rerum quasi cursum celerrimum optime interrupisse. Haud scio an dici possit, Homerum eo magis comparationibus uti, quo graviores res enarrentur, et eo magis necessarias esse naturae descriptiones animos eorum, qui legunt quasi reficientes, quo plures res et pugnae depingantur. Ingeniosissime hoc modo orationem variare et distinguere studet Homerus, numquam eo, quod propositum est, aberrat, numquam in animis reficiendis res ipsas producere neglegit. Quod quidem eo minus, cum comparationibus facta modo contineantur. Si quo loco autem carmina comparationibus nimis abundare, aut eae absurdae et ineptae esse videntur, hoc certe argumentum nobis est, locum sive librum illum non ab Homero originem accepisse, sed ab illis, qui operibus illius adornandis sive edendis praefuerunt, ut decimum Il librum, quem spurium esse inter omnes doctos viros constat.[1])

Cum comparationes Iliadis, quae non raro ad parvas naturae descriptiones adaugentur, naturalium rerum explicationes compensent, quae Iliadi fere desunt, pleraeque comparationes Odysseae, quae quidem fortunam in pace et vita familiari positam praedicat, ex negotiis tranquillae vitae agrestis repetuntur, magisque ex piscatu vitaque maritima, quam ex negotiis venatorum et pastorum assumuntur. Quod si intellexeris, etiam naturam diversam comparationum in duobus illis carminibus heroicis recte dijudicaveris. Comparationes Iliadis multo hilariores sunt magisque ad sensus quasi pertinent; Odysseae comparationes sunt mitiores ipsumque animum magis commovere videntur. Sed Iliadi quoque comparationes nonullae insunt molliores mitioresque (cfr. Il. VIII, 559) neque Odysseae naturae descriptiones (Od. V, 338) omnino desunt.

Quod post epitheta Homerica spectata fecimus etiam nunc faciemus: brevi Vergilii comparationes contemplemur. Eum, qui attente legerit, non fugerit, totam Aeneidem, Homericis quasi filis contextam esse, quin etiam ingenio poetico Vergilii nullo modo contempto confirmare possumus, Aeneidem omnibus fere partibus summarium tantum quasi parvum esse Iliadis et Odysseae, quo veste Romana amictum et cui animus Romanus inspiratus sit. Nam totae partes narrationum rerumque Homericarum aut sine ulla commutatione in Aeneidem translatae aut ad alius nomen collatae sunt, quarum multas Macrobius collegit[2]) quarumque etiam plures enumerari possunt. (Aen. III, 623. Od. IX, 288.)

[1]) Grotefend, p. 248.

[2]) Macrobius, Saturn. conviv. lib. V, 2. Attulit: Didonis convivium coll. Alcinoi epulis; inferorum consultationem Aen. VI. Od. XI. Consilia Anchisae Aen. VI. coll. Teiresiae monitis Od. XI. auxiliorum enumerationem Aen. X, 163—214. Il. II, 484—755. armorum fabricationem Aen. VIII, 370—453. Il. XVIII, 369—616. ludicrum certamen Aen. V, 103—484. Il. XXIII, 257—897. speculationem nocturnam Aen. IX, 176—365. Il. X, 299—579; foetus inter reges ictum et paullo post ruptum Aen. XII, 1—310. Il. III, 1—382. IV, 1—220. — lamentationem super Pallante Aen. X, 530. Il. XVIII, 1—148. — altercationem Drancis et Turni Aen. X, 122 sqq. Il. I, 1—306. pugnam singularem Aeneae et Turni. Aen. XII, 1—310. Il. III, 382. Achillis insultationem in Lycaonem peremtum in Tarquitum translatam. Aen. X, 557. etc. Il. XXI, 122. etc.

Prodigium illud, quo Laocoon moritur, repetendum est a simili portento, quod Achivis accidit in Aulide inclusis [1]); preces, quibus Creusa Aeneam a pugna retinere vult, sine dubio ad illarum precum imaginem, compositae sunt, quibus Andromache Hectori discedenti supremum dicit vale! (Aen. II, 637; Il. VI, 394). Congruere videntur Aeneae adventus apud Evandrum, qui tum sacrificia facit, et Telemachi accessus ad Nestoris urbem aliaque talia (Aen. VIII, 102; Od. III, 35). — Quocunque videmus, ubique facile est intellectu, Vergilium, etiam rerum narratarum natura commotum, Homerum imitatum esse. Quam ob causam videamus, an Vergilius etiam illis locis Homeri vestigia secutus sit, quibus suum quoddam institutum suamque voluntatem consequi potuit, praesertim in carmine suo exornando ornamentisque distinguendo. Cum de epithetis ejus ornantibus disputaremus, de vi ejus, quae inventio sive excogitatio dicitur, optimo jure dubitare potuimus, sed fere purgatus esse videbatur, cum animadverteremus, omnia epitheta a prioribus poetis tradita esse. Comparationibus autem ejus contemplandis manifestum nobis fieri debet, eum libero arbitrio omnino carere. Fere omnes Graecis exemplis depromptae esse videntur et fere omnes, si quomodo explicatae sint spectas, vix ea adaequare possunt, quamquam in nonnullis quoque suavitas et dulcedo inest. Quodnum vere dixerim, evidens fiet, si comparationes quasdam Vergilii et Homeri inter se contulerimus. Ut autem Odyssea pauciores comparationes continentur, quam Iliade, sic etiam in prioribus sex libris Aeneidos pauciores, quam in posterioribus insunt.

A. Ex comparationibus, quae ad vitam resque gestas animantium pertinent, has modo afferamus:

1. Homines comparantur deis:
   Aen. I, 498—504. cfr. Od. VI, 102—10.
   Aen. VIII, 407—14. cfr. Il. XII, 433—35.

2. Comparationes, quae ad animalium vitam pertinent:

Apes sunt imagines quasi industriae et diligentiae. Aen. VI, 706—709; I, 430—36. Il. II, 87—92.

Serpenti comparatur hostis subito et clam appropinquans. Aen. II, 379—82. Il. 33—35.

Volantium avium gentes similes sunt variae multitudinis in bellum proficiscentium militum. Aen. VII, 698 sqq. Il. II, 459—63; Aen. XI, 720 sqq. Il. XXII, 139—42. Od. XV, 525—34; Aen. IX, 563 sqq. Il. XXII, 308 sqq. Il. XV, 690—92.

Lupus est imago cupiditatis pravae et ignaviae. Aen. XI, 809—14. Il. XV, 586—80.

Leo est imago crudelitatis Aen. IX, 339. Il. XII, 299—305; Aen. X, 454—56. Il. XVI, 487—91; Aen. XII, 4—9. Il. XX, 164—73.

Aper apparet Aen. X, 707—18. Il. XI, 414—418.

B. Comparationes ex inanimatis ad animantia.

Arbores et plantae. Aen. V, 447—49. Il. XVI, 482—85, quam comparationem Vergilius adornavit. cfr. etiam Aen. IX, 674; Il. XII, 131 sqq.

Flos falce caesus et papaver pluviis inclinatum sunt imagines cadentis et morientis viri: Aen. IX, 435 sqq. Il. VIII, 306—8.

Saxo cuidam ingenti fortis miles comparatur: Aen. VII, 586 sqq. Aen. X, 693—96; Il. XV, 618—21.

Saepissime mare, venti, ingnis, tempestas, praesertim in proeliis depingendis ab utroque poeta ad comparationes adhibentur: velut Aen. VII, 526 sqq. Il. IV, 422—426; Aen. IX, 666. Il. XII, 156—61 etc.

Quibus in comparationibus omnibus non solum tertium comparationis, sed etiam fere omnes res Homerum secutus finxit Vergilius, etsi nonnullis locis argumenti sui ratione habita, quaedam commutavit. Dubium non est, quin ingenium ejus poeticum nonnullis comparationibus pulchriorem praebuerit speciem sive elegantiam dicendi genere sive rerum aptiore et quasi rotunda constructione

[1]) Herder, Krit. Wälder. I, 98 sqq.

(cfr. Aen. IX, 435 etc.). Quae omnia autem si spectamus, Vergilius non modo propter liberi arbitrii inopiam sed etiam propter verborum elocutionem venustiorem neglectam posthabendus est Homero, id quod etiam si proprietates ejus leviter modo attigeris facile videri potest.

Omnia quae comparationibus Homeri investigandis invenimus, nunc quidem paucis colligamus:

1. Quod comparationibus Homeri non parva solum et exigua, sed magna etiam et mirabilia comprehenduntur, id quod Homerum igenium habuisse ad universum spectans demonstrat, Homerus assecutns est, quod comparationes sibi volunt, i. e. notis et perspectis rebus explicare et exponere ignotas.

2. Quod Homerus comparationibus res apte explicavit factaque modo factis contulit, calorem quendam ardentiorem magisque vigentem iis praebuit, quod eas semper optime elegit, perspicuitatem, quod fusius eas latiusque composuit, hilaritatem quandam et suavitatem, quas omnes virtutes illustrissimas Vergilius adaequare non potuit.

De descriptionibus.

Descriptiones cum in carmine heroico tertium illud sunt, quod non solum ad excolendum sed etiam ad exornandum totum carmen pertinet, optimo juro magis quam comparationes et epitheta ad utilitatem spectare dici potest, quod vestimevtum modo, quo quasi amictae sunt, eis speciem quandam ornamenti praebet. Nam etiam poeticae descriptiones ante omnia notitiam alicuius rei augere student — id enim omnes descriptiones spectant — sed id non sicco et sobrio modo, sedipsae voluptate illa nos afficere volunt, qua res descriptae nos afficiunt; ut paucis dicam, eum animi motum efficere volunt, quem res ipsae commoverunt.

Quod quidem descriptiones assequuntur, cum res depingant, i. e. autem, cum non picturas quasi componant, sed cum eadem perspicuitate, eadem vi et gravitate, eodem ardore, quo ars pictoria res ostendant. Res igitur non modo leviter attingendae sed etiam parva examinanda, omnia bene distinguenda, neque solum similitudo sed etiam elegantia et venustas spectandae sunt. Tali modo pictura quaedam arte poetica composita oritur, quae optimo jure praesertim in carmina heroica inseritur et ad omnia illustranda permultum pertinet.

Quemadmodum Homerus praecepta illa secutus sit, quibus descriptio poetica bona efficitur, hoc jam ab Lessingio et Herdero accuratissime disputatum est, quam ob rem satis erit, hoc loco leges, quae ab eis inventae sunt, breviter explicare.

Quamquam in descriptionibus, ut postea demonstrandum erit, singularia etiam et exigua nullo modo neglegenda sunt, tamen illae numquam latiores et fusiores fieri, minoresque res nimis accurate pertractare debent; sed poeta — quod quidem facit Homerus — paucis significantibus epithetis gravioribusque rebus explicandis efficiat necesse est, ut descriptiones quam primum similitudinem quandam habeant rebus describendis. Nam si poeta res tanta vi adumbrat, certe imago, cum mens et cogitatio late vagari ingenioque humano quasi subvenire possint, facillime oculis eorum, qui legunt, subjicitur. Sin vero descriptiones latae sunt et verbosae, mens et cogitatio jam non nituntur certis fundamentis, descriptionesque nullam parant voluptatem.

Prima igitur lex poetae describenti esto, ut rem ab ea modo parte describat, ad quam animum advertere debemus, proprietates significantes ejus demonstret, memoriam nostram excitet, quae menti et cogitationi subveniat.[1]) Quarum rerum exempla proferre opus non est, quod cum de epithetis Homericis disputavimus, pluribus verbis de ea re diximus.

---

[1]) Lessing, Laocoon XIV: „Ein poetisches Gemälde ist nicht nothwendig das, was in ein materielles Gemälde zu verwandeln ist; sondern jeder Zug, jede Verbindung mehrer Züge, durch die uns der Dichter seinen Gegenstand so sinnlich macht, dass wir uns dieses Gegenstandes deutlicher bewusst werden, als seiner Worte, heisst malerisch, heisst ein Gemälde, weil es uns dem Grade der Illusion näher bringt, dessen das materielle Gemälde besonders fähig ist, der sich von dem materiellen Gemälde am Ersten und Leichtesten abstrahiren lässt".

Altera autem et gravissima lex, quam Lessing descriptionibus Homericis contemplatis primus invenit, est, ut poeta singulas res, quae describantur, ita componat, ut facillime ex iis similem quandam imaginem animo nostro effingere possimus. Lessing in libro suo „Laocoon" exemplis gravissimis demonstravit, quibus auxiliis Homerus usus sit, ut intra terminos arti poeticae constitutos res pertractaret artium plasticarum proprias; atque Herder, elegantia et venustate, quae ei erant, adductus, complura ad hoc spectantia collegit libro „kritische Wälder".

Ars pictoria [1]) semper certum quoddam momentum facti cujusdam sive certum quendam rerum statum et condicionem in tabula figit, colorumque abundantia vim, vitam, ingenium quasi rebus inspirat. Ars quoque plastica, res suas imagines in spatio disponit sublimesque sententias brevi in spatio concise effingit. Ars poetica vero (dicimus hoc loco ante omnia carmen heroicum) res suis producit tempore procedente et res gestas, casus magnos, magna facta explicat; instrumenta non habet, neque scalprum fabrile neque penicillum adhibet. Cogitationes solae earumque quasi vestimenta verba eam adjuvant in arte explicanda. Ut autem verbum non in spatio quasi corpus accipit sed in tempore profluit, etiam res arte poetica depictae ne cum verbis aliud post aliud sequentibus pugnent, in tempore non in spatio esse debent. [2]) Si igitur ars poetica res tractat, quae cum in spatio sint, ejus non propriae sunt, semper cavere debet, ne methodum suam negligat. Res non motas mutare in progredientes, res quae j u x t a alias positae sunt, p o s t eas ponere easque semper ab ea parte contemplari nostrisque oculis subjicere debet qua optime naturae ejus inserantur. Descriptiones autem si res singulas describunt, et perpetuo artis pictoriae praeceptis convenienter depingunt, nobis universae rei imaginem ante oculos vix ponent. Pictoris sive sculptoris opus habebimus non poetae, nisi ei contigit, ut res describendas quodam modo implicet temporibus praetereuntibus.

Homerum igitur, qui in descriptionibus suis summum se praebet artificem, ex vulgo ortum vulgo carmina sua composuisse intelligi potest. Pauca modo exempla afferam, ut varietatem illam ingenii Homeri illustrem. Homerus, sive magnitudinem deorum, pulchritudinem feminarum, proprietates animorum aut corporum virorum fortium, sive currum Junonis, Agamemnonis sceptrum, Achillis scutum, arcum Pandari cet. describit, semper pingendo (si verbi propriam significationem spectas) abstinet: numquam imaginem nobis praebet imaginis causa, sed semper eam rei partem ante oculos ponit, qua „ἐνέργεια" quaedam demonstratur, quaeque hoec ἐνέργεια cum factis cunjuncta est vel ipsa res gerit.

Herder [3]) cum de Lessingii Laocoonte judicaret, contra Lessing mea quidem sententia summo jure confirmavit, Homerum cum leges supra commemoratas observasset, non artificiis solum

---

[1]) Laocoon XVI.

[2]) Cfr. Laocoon XVII: „Ich spreche nicht der Rede überhaupt das Vermögen ab, ein körperliches Ganze nach seinen Theilen zu schildern; sie kann es, weil ihre Zeichen, ob sie schon aufeinander folgen, dennoch willkürliche Zeichen sind; sondern ich spreche es der Rede als dem Mittel der Poesie ab, weil dergleichen wörtlichen Schilderungen der Körper das Täuschende gebricht, worauf die Poesie vornehmlich geht; und dieses Täuschende, sage ich. muss ihnen darum gebrechen, weil das Coexistirende des Körpers mit dem Consecutiven der Rede dabei in Collision kommt, und indem jenes in dieses anfgelöst wird, uns die Zergliederung des Ganzen in seine Theile zwar erleichtert, aber die endliche Wiederzusammensetzung dieser Theile in das Ganze ungemein schwer und nicht selten unmöglich gemacht wird."

[3]) Herder, Kritische Wälder, p. 206: „Ich kenne keine Successionen im Homer, die als Kunstgriff, als Kunstgriffe der Noth, eines Bildes, einer Schilderung wegen da sein sollten; sie sind das Wesen seines Gedichtes, sie sind der Körper der epischen Handlung. In jedem Zuge des Handelns muss Energie, der Zweck Homers, liegen; mit jeder andern Hypothese von Kunstgriffen, Einkleidungen, um das Coexistirende der Schilderungen zu vermeiden, komme ich aus dem Ton Homers. — — Wenn Homer ein körperliches Bild braucht, so schildert er es, wenn es auch Thersites sein sollte; er weiss von keinen Kunstgriffen, von keiner poetischen List und Gefährde; F o r t s c h r e i t u n g ist die Seele seines Epos."

quibusdam usum esse, sed poesis epicae naturam modo secutum semper progredi debere „weil er fortschreiten muss, weil alle diese Theilhandlungen Stücke seiner ganzen Handlung sind".

Homerus nullum deum nobis depinxit, nam si dei in carminibus apparent, semper sunt in motu, semper quid efficiant, demonstratur. Il. I, 528. Jovis potentiam nobis ostentat, ac magis etiam summa ejus vis et auctoritas imagine illa simplici tamenque sublimi in Il. VIII, 17—27, posita cernitur. Juppiter annuit et tremit Olympus. Summus post eum deus supra terram graditur et terra tremit. Non ut imaginem nobis praebeat graduum Neptuni, haec de Neptuno dicuntur, sed ut ex gradibus ejus efficere possimus, quanta ejus sit potestas ac potentia. Concluditur ex efficiente ad effectum, ex magnitudine ad dignitatem atque vim. Simili modo Minervae forma et figura adumbratur Il. XXI, 403 saxum jaculatur in Martem, ferit eum, ille procumbit humi. Il. V, 743 ex magnitudine casus ejus cogere possumus, quanta sit potentia ejus, quantum robur; cassis ejus tanta est, ut centum urbium peditibus sufficiat.[1]) Mars, qui tot jam homines trucidavit tantumque clamare potest, cum ceciderit (XXI, 407) septies tricena jugera agrorum tegit. Quae tam mirabilia cum inter se pugnent, dei contra deos, mirum non est, quod Homerus magnitudine eorum imaginem quandam nobis dare conatur, cum hac sola vires eisque gestas res animo concipere possimus. Sed illis quoque locis modum non transgreditur ac tantum modo pingit, quantum necessarium est, ut ex magnitudine, robore celeritate colligere possimus, quantae eorum vis, majestas, virtus sint. Facile intelligi potest, non omnes deos tali modo depingi, cum natura deorum Homericorum ea sit, ut Venus, dea illa imbellis, et ipse Mars per Diomedem, hominem mortalem vinci possint. (Cfr. Il. V, 381.)

Eadem conclusione ab effecto ad efficiens pulchritudinem Helenae intelligimus. Notus et a Lessingio nostro praeclarissime explicatus est locus ille Il. III. 156—58. — Od. XVIII, 187 sqq. Penelopae forma nobis monstratur. Minerva eam splendore quodam illustrissimae pulchritudinis (v. 212) circumdat, ut procis genua tremant voluptate. Aliter Homerus in deformitate depingenda versatur (cfr. Il. II, 212 sqq.); ut Thersitem describit etiam singularum minimarumque rerum ratione habita, cum aliter ridiculi effectum producere non possit. Ignavus autem quam accurate oculis nostris subjicitur (Il. VIII, 279 sqq.) Iterum iterumque expallescit, conquiniscit modo hic modo illic, cor ei palpitat in pectore trepido, colliduntur dentes. Praeclarissimum autem exemplum Homeri generis dicendi, quo optime demonstratur, eum omnia in actiones quasi transferre, Achilles irascens in Iliadis initio esse videtur (Il. I, 188 sqq.). Ira ejus non modo significatur versu illo:

Πηλεΐωνι δ'ἄχος γένετ', ἐν δέ οἱ ἦτορ
στήθεσσιν λασίοισι διάνδιχα μερμήριξεν,

sed addit etiam: ὅ γε φάσγανον ὀξὺ ἐρυσσάμενος παρὰ μηροῦ. Tum actione quadam denuo juvenem illum ferocem videmus significantem, se mandatis deae (λῆγ' ἔριδος v. 210) paruisse: ἂψ δὲ ἐς κουλεὸν ὦσε μέγα ξίφος (v. 220), et versibus insequentibus (245) cognoscimus, eum quamquam ultionis cupiditate incensus sit, tamen plenum puerilis pertinaciae rem modo inanimatam ulcisci, cum Homerus dicat: ποτὶ δὲ σκῆπτρον βάλε γαίῃ. Talia exempla facile sexcenta enumerari possunt, quorum nonnulla modo hic ponam. Eurycleia, cum Ulixi domum redeunti pedes lavans cicatrice alterius pedis cognoscat laeta dominum, pedem manu emittit, ut aes sonet et aqua ad terram fluat; oculi lacrimis complentur, „vox faucibus haeret", tum Ulyxis genua complectitur eumque alloquitur. (Od. XIX, 467 sqq.) — Andromachae, mortem Hectoris suspicanti, membra tremunt: radius, in texendo adhibitus ad terram cadit. Cum interfectum autem Hectorem attrahi videat, animo deficitur; ornatus comae, fascia, velamen de capite labuntur, circum stant propinqui. (Il. XXII, 448 sqq.). — Antiochum nuncius de Patrocli morte allatus percutit: reticescit, oculi lacrimis complentur, aegre animam ducit (Il. XVII, 694 sqq.)

[1]) Cfr. Herder, Kritische Wälder, p. 175.

— Simili modo Achilles mortem Patroli lugens (Il. XXIV, 9 sqq.), Agamemnon res suas tristes (Il. X, 94 sqq.) Saepissime autem, quae paucissimis verbis notantur, res narratas perspicuas et planas reddunt. Nestor, quem Agamemnon noctu convenit, caput sublatum cubito fulcit, priusquam loqui incipiat, (Il. X, 80. Od. XIV, 494.) Ingeniosa est descriptio morum naturarumque Ulyxis et Menelai (Il. III, 210 sqq.) quam Lessing jam praeclarissime illustravit.[1]) Cuius similis locus invenitur Il. XXIV, 359: comae eriguntur Priamo angore commoto in membris flexibilibus. — Descriptiones autem in comparationibus dispersae, quae ex vita animalium assumptae sunt, non minus plenae sunt elegantiae et venustatis. Leo, quem venatores aggressi sunt, conquiniscit, spuma ante ora ejus apparet; animus ejus fortissimus premitur, cauda ferit latera coxasque, tortuosis postremo assilit oculis. (Il. XX, 168 sqq.) Apro furenti ardent oculi setaeque ejus eriguntur (Il. XIII, 73), bovibus arantibus sudor juxta cornua effluit (XIII, 705). — Quantam autem vim Homerus in iis rebus describendis ponere potuit, quae anima carent! Currum Junonis, sceptrum Agamemnonis, Achillis scutum, Pandari arcum — has omnes res non animo solum concipere possumus sed etiam quanta fuerint dignitate et pulchritudine scire credimus. Cum enim vidimus quomodo currus et scutum facta essent, quomodo sceptrum illud et arcus, audivimus, magis magisque earum rerum memoria oblectamur quasque qui possident, magis magisque apud nos, id quod studet poeta, quasi auctoritate valent. Quarum rerum non formae nobis cognoscendae sunt, nam pictor eas nobis melius describet, sed formis earum nobis ostenditur, quanta iis insit ‚ἐνέργεια‘.

Sed id, quod dictum est: „quandoque bonus dormitat Homerus“ [2]) etiam in descriptiones adhiberi videtur. Descriptiones illae quidem, quae Iliadi insunt, cum ea omnino floreat maiore quodam vigore, breviores sunt aptioresque ac recte de illis dici potest, quod Bernhardy de Graeco dicendi genere universo dicit[3]): „Deren (der objectiven Rede) glückliche Nachwirkung besteht im vollen Eindruck des anschaulich und kräftig entwickelten Gedankens. Eine solche Macht über den Leser fordert Reichthum, Klarheit und Stärke der Beobachtung; daher ordnet und gliedert der antike Vortrag seine Details in der wirksamsten Folge von Merkmalen und Schilderungen mehr plastisch als malerisch und die Phantasie des Darstellers hält Schritt mit dem Masse des Stoffes.“ In Odyssea autem poeta saepius non solum nimis late sed etiam obscurius res tractavit. Nam quomodo hortum Alcinoi (Od. VII, 112 sqq.) portum Ithacae (Od. XIII, 95—117) cet. descripsit, neque hortum, neque portum ante oculos nobis ponit. Hae descriptiones sunt simplices quasi et molestae picturae sine ullo vigore, sine ulla elegantia; legem enim illam, gravissimam de qua jam dictum est, neglexit: res, quae juxta alias erant in spatio, non post eas posuit.

Quae cum ita sint, tamen Homerus etiam in descriptionibus se praebuit peritissimum et ingeniosissimum artificem; quaecumque poetae posteriorum temporum composuerunt, ad ejus exemplar efficta sunt. Quam difficile autem sit, eum adaequare, iterum nobis Vergilii exemplo demonstratur. Ut in epithetis et in comparationibus, sic etiam in descriptionibus se praebet imitatorem modo Homeri. Sive hominem describit considerantem (Aen. VII, 249. cfr. Il. III, 217) sive hominem dolore affectum (Aen. VII, 292. Od. V, 285; Aen. XI, 831. Il. XXII, 361—63) sive admirantem (Aen. II, 774. Il. XXIV, 389) semper Homeri imitatur exemplum. Praeclarissime Vergilius magnam gregum copiam significat (Ecl. II, 21): „mille meae Siculis errant in montibus agna“. Horatius ipsum victorem in curriculo Olympico oculis nostris subiicit. Ovidius, qui Lycaonis transfigurationem describit, illud „fit lupus“ addit, postquam in omnibus membris quomodo commutati sint ostendit. Quantopere autem Homerus eis praestet, intelligimus, si illi majora experiuntur. Vergilium ingenio Homeri nullo modo

[1]) Cfr. Laocoon XXII.
[2]) Horat. Epist. II, 3. 359.
[3]) Bernhardy, Griech. Lit. I, p. 152.

se immersisse, ex descriptione illa Aeneae scuti inepta cognosci potest.[1]) Quamobrem nos quidem veterum probamus judicium:

Cedite Romani, cedite Graii,
Nescio quid maius nascitur Iliade.[2])

Postquam de epithetis et comparationibus apud Homerum disputavimus, eum summo jure earum tractandarum peritissimum nominari videmus. Sed etiam in rebus describendis se praebet praeclarissimum artificem, id quod duabus de causis a nobis confirmatur.

1. Homerus in omnibus rebus, quae earum propria sunt, invenit, omnia non necessaria autem neglegit, ut menti et cogitationi immaginationi eorum qui legunt, liceat sibi ipsis imaginem quandam effingere. 2. Homerus artis poeticae naturae rationem habet, cum descriptionibus suis non picturas et formas, ut pictor et statuarum fabricator confingat, sed res semper ab ea parte contemplatur, qua ἐνέργειαν quandam in eis inesse demonstrent et qua sua sponte quasi in rerum connexum se inserant. Huc accedit, quod Homeri descriptiones eadem elegantia et venustate utuntur qua tota ejus carmina.

Ex eis, quae in hac nostra commentatione de illustrissima Homeri elegantia et venustate diximus, haud scio an unusquisque intelligat, vim et auctoritatem poesis Homericae non in rebus, de quibus agit, sed in elegantia illa et veustate, in vi et gravitate positam esse; quam ob causam illud Herderi[3]):

„Zwar sind die Gegenstände, die er besingt, Kleinigkeiten nach unserer Weise: seine Götter und Helden mit ihren Sitten und Leidenschaften sind keine anderen, als die ihm die Lage seiner und der vergangenen Zeiten darbot; ebenso eingeschränkt ist auch seine Natur- und Erdkenntniss, seine Moral und Staatslehre. — Aber die Wahrheit und Weisheit, mit der er alle Gegenstände seiner Welt zu einem lebendigen Ganzen verwebt, der feste Umriss jeder seiner Züge, in jeder Person seiner unsterblichen Gemälde, die unangestrengte sanfte Art, in welcher er frei, als Gott, alle Charaktere sieht und ihre Laster und Tugenden, ihre Glücks- und Unglücksfälle erzählt; die Musik endlich, die in so abwechselnden grossen Gedichten unaufhörlich von seinen Lippen strömt und jedem Bilde, jedem Klange seiner Worte eingehaucht, mit seinen Gesängen ewig lebt; sie sind's, die in der Geschichte der Menschheit den Homer zum Einzigen seiner Art und der Unsterblichkeit würdig machen, wenn etwas auf Erden unsterblich sein kann."

---

[1]) Cfr. Laocoon XVIII.

[2]) Cfr. Herder, 10. Bd., S. 81:

„Zeiten hinab und Zeiten hinan tönt ewig Homerus
Einiges Lied; ihn krönt jeder olympische Kranz.
Lange sann die Natur, und schuf; und als sie geschaffen,
Ruhete sie und sprach: „Einen Homerus der Welt".

[3]) Herder, Ideen etc., 13. Buch, p. 55.

F. C. Herfurth.